ANALYTICA DEMONSTRATIO EX TESTIMONIIS ATQ. DECRETIS SUMMORUM PONTIFICUM, À CLEMENTE PAPA PRIMO, VSQUE AD...

Giuseppe Branca

876.2

ANALYTICA
DEMONSTRATIO
EX TESTIMONIIS ATQ. DECRETIS

Summorum Pontificum, à Clemente Papa Primo, vsque ad Gregorium Septimum: & tredecim corollarijs conclusionibus confecta, qua euidentissime demonstratur, immunitatem tam personarum, quàm rerum Ecclesiasticarum esse de iure diuino, per Apostolorũ, & Patrum traditionem, Sacrarum Scripturarum de necessaria consequentia interpretationem, & rationum ex eis desumptarum adductionem ad reuincendum Theologi Veneti falsas rationes.

EDITA, ET CONCINNATA per Fr. Iosephum Brancham Syracusanum Theologum, Ordinis Minorum de Obseruantia, in Conuentu Aracæli Vrbis Prælectorem.

AD SANCTISS. PATREM
PAVLVM PP. V.

1872

ROMAE, Apud Stephanum Paulinum, MDCVII.
Superiorum permissu

AD SANCTISS.

D. N.

PAVLVM V.

AD reuincendum ſimul, & retundendum falſam opinionem eum ſuis prætenſis rationibus quorundam ſciolorum, qui noſtra hac tempeſtate Sereniſſ. Reipublicæ Venetæ Rectores io hoc perniciosiſſimum diſcrimen adegerunt, ſeu verius eoſdem faſcinauerunt, non obedire diſciplinæ Eccleſiaſticę, ſanctionumq. Canonicarum veritati; Cum in non amouendo ſtatuta ſua aduerſus Eccleſiaſticā libertatem nuper edita, tum in nō obtemperando Apoſtolicis monitorijs, atque cenſuris in eis iuſtiſſime latis, multo ſatis eſſe iudicaui, Pater Beatiſſime, ſi ſententias, teſtimonia, atque decreta Sanctiſſimorum Pontificum, eorundem martyrum glorioſiſſimorum ab ipſis Sanctorum Apoſtolorum temporibus condita, non modo ante Carulum Magnum primum occidentalium partium Imperatorem, ac Iuſtinianum, & Theodoſium, verum etiam ipſum magnum Conſtantinum Auguſtum à Silueſtro baptizatum ſecundum ſuam perſonarum, & temporum ſeriem ordinatam in medium afferrem, fideliterq. recenſerem, eo vtique, vt iacent, ſtylo in 1. & 2. Conciliorum Generalium tomo.

QVamobrem ab ipſo Romanorū omniū Pontificū primo, Petro inquam Apoſtolo, (vt opus eſt) auſpicantes, ſententiam atq; decretum Clementis nominis huius PP. Primi Anno D. 70. à tempore ferè Neronis vſque ad Domitianum Imper. Quinimo verius, ac rectius ipſius Apoſtolorum omnium verticis Petri, Dei, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti Primi Vicarij, per ipſum Clementem in epiſtola 1. ad Iacobum fratrem Domini ſic ordinantis, & loquentis. Propouimus, qui ex fratribus negocia habent inter ſe apud cogitores ſeculi non iudicentur, ſed apud preſbyteros Eccleſiæ, quidquid illud ſit dirimatur, & omnimodo obediant ſtatutis eorum. Hæc ibi Clemens ex ore ipſius Petri. Itidem in epiſtola eadem ex ipſo Petro de Epiſcopis, & preſbyteris loquente ſic refert. Omnes Principes terræ, & cunctos homines eis obedire, & capita ſua ſubmittere, eorumque adiutores exiſtere præcipiebat, vt omnes pariter fideles, & cooperatores legis Dei monſtrarentur, ne de

I. Habentur concil. to. 1. fol. 15.

Tranſumitur etiam 11. q. 1. c. ſi quis ex fratribus.

eis dicatur. Confundantur, & erubeſcant omnes qui pugnant aduerſum te, & erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Omnes ergo qui eis contrauenerint, ita damnatos, & infames vſque ad ſatisfactionem monſtrabat, niſi conuerterentur, à liminibus Eccleſiæ alienos eſſe præcipiebat. Item in eadem epiſtola referens loquentem Petrum de ſecularibus omnibus, & plebe erga Epiſcopos, & Sacerdotes inquit. Hoſque omnes, & eorum Epiſcopos tota animi virtute diligere, vt oculos ſuos, quia oculi ſunt illorum, eorum præceptis in omnibus obedire, etiam ſi ipſi aliter (quod abſit) agant, memores, ſcilicet illius Dominici præcepti, *Quæ*

Matt. 23. *dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite*, ipſi autem Epiſcopi ſi exorbitauerint, ab iſtis non ſunt reprehendendi, vel arguendi, ſed ſupportandi, niſi in fide errauerint, illi ergo ſuper iſtos ſunt, non autem iſti ſuper illos, quoniam maior à minore, nec argui, nec iudicari poteſt, nullus ſe extollat erga Doctores, ac magiſtros ſuos, quia diſcipulus ſuper magiſtrum eſſe non debet nec poteſt.

Fol. 22. Idem quoque Clemens epiſtola tertia ad omnes Epiſcopos, presbyteros, ceteroſque clericos, in initio. Veſtrum enim, quia legatione Dei fungimini eſt docere populos, eorum vero eſt vobis obedire, vt Deo, ſi autem vobis Epiſcopis non obedierint omnes presbyteri, & reliqui clerici, omneſq. Principes tam maioris ordinis, quam inferioris, atque reliqui populi, non ſolum infames, ſed etiam extorres à Regno Dei, & conſortio fidelium, & à liminibus Sanctę Dei Eccleſiæ alieni erunt, nam neceſſum eſt eos inſtruere, eorum eſt vobis obedire, vt Deo, cuius legatione fungimini, dicente Domino, *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit,*

Luce 10. *& qui vos recipit me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui miſit me*. Nihil enim iniuſtius, & inhoneſtius eſt quam filios patribus rebelles, aut clericos, vel laicos doctoribus, ſeu diſcipulos magiſtris inobedientes, vel proteruos exiſtere. Hactenus Clemens.

Ecce, quo nam modo claro ſimul, & gradatim ordinato, procedit Clemens per quatuor teſtificationes ad demonſtrandum immunitatem Eccleſiaſticarum perſonarum eſſe de ſuperiori iure, quam de ſimplici humano, cum fateatur, & dicat hæc omnia à Petro ipſum docente audiuiſſe, qui ſiquidem Petrus ex ſe ordinare non auſus eſſet niſi ab ipſo domino didiciſſet, quinimo idem Clemens in eadē epiſtola, ita ſubdit. Hec, Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt, hæc nos docemus, vobiſque, & omnibus abſque reprehenſione tenere, & docere mandamus. In prima teſtificatione per verba illa. *Si qui ex fratribus negocia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non iudicentur, ſed apud presbyteros Eccleſiæ, quidquid illud ſit dirimatur*, docet cauſas clericorum ciuiles deferendas eſſe ad iudices Eccleſiaſticos, nequaquam

ad ſe-

ad seculares. In secunda testificatione, per verba illa. *Omnes Principes terræ, & cunctos homines eis obedire, & capita sua submittere*: docet omnes tam Principes, quam populares fideles, in spiritualibus, & concernentibus animarum salutem esse subditos Episcopis, & Sacerdotibus. In tertia per illa verba. *Ipsi autem Episcopi si exorbitauerint ab istis non sunt reprehendendi, vel arguendi, illi ergo super istos sunt, non autem isti super illos, quoniam maior a minori nec argui, nec iudicari potest*. Docet Episcopos, & consequenter Sacerdotes in criminalibus causis non posse iudicialiter cognosci à secularibus quibuscumque Principibus, vel magistratibus. In quarta testificatione per illa verba. *Nihil enim iniustius, & inhonestius est, quam filios patribus rebelles, &c.* docet inconueniens, atque absurdum esse si seculares, Episcopis, & Sacerdotibus non obedirent, idemque absurdum, & inconueniens tacite insinuat esse si Episcopi, & Sacerdotes iudicarentur à secularibus, cum illi ex ordinatione diuina sint super istos. Etenim absurdum idem, & inconueniens certo certius eueniret, quando Episcopus causam spiritualem Principis secularis cognosceret, & Princeps causam Episcopi ciuilem, ex quo fororum confusio inferretur. Vnde theologi insignes Franciscus à Victoria, & eius discipulus Dominicus Soto hoc inconueniens atque absurdum probe perpendentes, licet eius opinionis fuerint, quod immunitas personarum Ecclesiasticarum non sit de iure diuino, scilicet expresso, coacti sunt dicere, necessarium sibi videri, quod ad integram, (vt oportet,) & liberam administrationem rerum spiritualium, personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ à iudicio potestatis temporalis, eo, quia non possent commode vacare officio suo, quam rationem ab hoc absurdo euitando, pro demostranda immunitate personarum Ecclesiasticarum, diffuse suo loco pertractabimus in conclusione nostra quinta. Vt igitur hoc maximum inconueniens, & absurdum remouendum à foro Ecclesiastico indicaret, ab illo antiquissimo Ecclesiæ exorientis tempore Clemens, seu Petrus potius per Clementem dixit verba illa: *Nihil enim iniustius, & inhonestius est, quam filios parentibus rebelles, &c.*

Relect. de Eccl. pot. q. vlt. pro. 3. 4. dist. 25. q. 2 artic. 1.

ANacletus PP. Clementis successor immediatus Anno D. 83. tempore Traiani Imp. epistola 1. de oppressione Episcoporum, & cæterorum clericorum, primo omnium inquit: Priuilegia enim Ecclesiarum, & Sacerdotum Sancti Apostoli iussu Saluatoris, intemerata, & inuiolata omnibus decreuerunt manere têporibus, leges Ecclesiæ Apostolica authoritate firmamus, & peregrina iudicia submouemus: vnde & Dominus mentionê faciês Loth per Moysen loquitur dicens: *Ingressus es quidem*, inquiunt, *vt aduenas: numquid vt iudices?* Idem in secunda epistola ad Episcopos Italiæ, & 2

fol. 192

Gen. 19.

liæ, & ſacerdotes, & clericos, inquit: Accuſatio quoque eorum ſuper qua nos conſuluiſtis non niſi ab idoneis, & probatiſſimis viris, qui & ſuſpicionibus, & ſceleribus careant, fieri debet, quia dominus ſacri ſui corporis tractatores, à vilibus, & reprobis, ac non idoneis perſonis infamari noluit, nec calumniari permiſit; ſed ipſe proprio flagello peccantes ſacerdotes à templo eiecit. Deinde ſubdit dicens: Vnde liquet quod ſummi Sacerdotes, id eſt Epiſcopi, à Deo ſunt iudicandi, non ab humanis, aut prauæ vitæ hominibus lacerandi, ſed potius ab hominibus fidelibus portandi, ipſo Domino exemplum dante, quando per ſeipſum, & non per alium, vendentes, & ementes eiecit de templo, & ſicut alibi ait: *Deus ſtetit in*

Pſal. 81. *Synagoga deorum, in medio autem deos diſcernit.* & alibi: *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes*; nullus enim (vt reor) inuenitur, qui velit ſuum ſeruum ab alio quam a ſe iudicari, quod ſi præſumptum fuerit, aut multa ipſe indignatione iraſcitur, aut potius vltionem quærit ſuper eum, ſi vero hoc inter homines agitur, quid putas tu faciet Deus deorum, & dominus dominantiũ, qui vltionem ſuorum promiſit non deſerere ſeruorum, vnde & ipſe per Prophetam loqui-

Pſal. 93. tur dicens: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit.*

Idem in eadem inferius inquit: Electionem quoque (vt ſupra memoratum eſt) ſummorum ſacerdotum ſibi dominus reſeruauit, licet electio eorum bonis ſacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſit.

Reſumitur 2. q. 7. cap. Laici. Idem in ſuis decretis. Laici in accuſatione Epiſcoporum audiẽdi non ſunt, quia oppido eis quidam infeſti ſunt, & indignum eſt, vt ab eis accuſentur, qui eorum grauitatem nolunt imitari. hęc omnia Anacletus. Quibus eo vtique modo, & clarius gradatim videtur procedere, quo Clemens eius prædeceſſor, & primo teſtificatur immunitatem Eccleſiaſticam, quam nomine priuilegiorum propriſſime nominat, Eccleſiarum ſimul, & Sacerdotum, iuſſu domini Saluatoris eſſe conſtitutam, & intemeratam, & inuiolatam debere conſeruari omnibus temporibus in futurum. Secundo declarat, peregrina iudicia hoc eſt poteſtatem ſecularem ſuper Sacerdotes eſſe ſublatam, quod grafice per dictum illud Gen. de Loth. *Ingreſſus*

Gen. 19. *es quidem vt aduena numquid vt iudices?* redarguit Principes ſeculares, qui tanquam hoſpites, & aduenæ ingreſſi ſunt in Eccleſiam Chriſtianam per ianuam, ſcilicet baptiſmatis, & ab Eccleſia omnium Chriſtianorũ ſuſcepti, vt eſſent ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, non vt iudicent Sacerdotes, ſed potius, vt à Sacerdotibus iudicentur. Tertio confirmat aſſertum eo quod dum dicit, quod dominus Sacerdotes corporis ſui tractatores à non idoneis perſonis prohibet accuſari, multo magis indicat non debere à ſecularibus iudicari, ſed à ſolis ſuperioribus Eccleſiaſticis, ſcilicet Epi-

ſcopis

scopis, quibus hæc doctrina tribuitur. Quarto ne quis suspicetur, quod ipsi Episcopi saltem deberent à principibus secularibus iudicari, expresse subnectit dicens clare. Vnde liquet, quod summi Sacerdotes, idest Episcopi, à Deo sunt iudicandi, non ab humanis, (scilicet iudicibus laicis) ipso domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium, vendentes, & ementes eiecit de templo, & per Prophetæ authoritatem: *Deus stetit in Synagoga Deorum, &c.* Quinto totam testificationem pro immunitate, & libertate Ecclesiastica corroborat, per illam vrgentissimam rationem, videlicet. Nullus enim inuenitur, qui velit suum seruum ab alio quam à se iudicari. Sexto incutit timorem in præsumptores Principes, qui auderent aliquam in Dei seruos sententiam ferre, & tanquam sibi subditos recognoscere, dicens. Quid putatis, scilicet, o principes seculi talia præsumentes, faciet super vos Deus deorum, & dominos dominantiū, qui vltionē suorū promisit nō differre seruorū? Psal. 81.

EVaristus PP. I. Anno D. 96. tempore Traiani Imp. epist. secunda ad omnes Christi fideles per Aegyptum, inquit, Audiuimus enim, quosdam infamatos, & dilaceratos Episcopos, ac è ciuitatibus expulsos, (quia alibi Episcopi constitui non possunt nisi in ciuitatibus non minimis,) & alios in eis ipsis viuentibus constitutos. Ideo hæc vobis scribimus, vt sciatis hoc fieri nō licere, sed pro prios reuocari, & integerrime restitui debere, deinde post aliqua, Si autem aduersus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit, & auctoritate huius Sanctę Sedis terminandum: & post aliqua in eadem epistola inquit ita: Non est itaque à plebe, aut vulgaribus hominibus arguendus, vel accusandus Episcopus, licet sit inordinatus, quia pro meritis subditorum disponitur à Deo vita rectorum. Idem quoque Euaristus in eadem epistola secunda inquit. Si qui sunt vituperatores, & accusatores Episcoporum, aut reliquorum Sacerdotum, non oportet eos à iudicibus Ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur existimationis suspicio, vel opinio. Hic Sanctissimus, & Gloriosissimus Martyr Euaristus improbat, vt illicitū, scilicet contra Dei ordinationē per populos, & consequenter per Populi Rectores iudicari, & condemnari Episcopos, & Sacerdotes; deinde non nisi authoritate Sedis Apostolicæ cognoscendas, & terminandas esse causas Episcoporum. Postremo, quod Episcopus nullo pacto potest à plebe, & consequenter à principibus laicis, qui authoritatem suam naturaliter habent à populis, argui, & iudicari, sed a iudicibus Ecclesiasticis solum modo causæ Episcoporum, & aliorum Sacerdotum audiri, & iudicari debent. 3.

ALexander Papa I. & quintus sub Petro, Anno D. 109. tempore Adriani Imp. epistola prima ad omnes orthodoxos inquit. 4.

Rela-

xi q. v. c. Relatum. Relatum eſt ad huius Sanctæ, & Apoſtolicę Sedis apicem cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnium negocia Eccleſiarum ab ipſo domino tradita ſunt quaſi ad caput, ipſo dicente, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Quod quidam æmuli Chriſti eiuſdem Sanctæ Eccleſiæ inſidiatores, Sacerdo-

In tom. epi. ol. 1 c. cap. 6. tes Dei ad iudices publicos accuſare præſumunt, cum magis Apoſtolus Chriſtianorum cauſas ad Eccleſias deferri, & ibi terminari præcipiat, quoniam taliter præuaricantes, præuaricauerunt in Deum ſuum, & non obedierunt præceptis eius, de quibus Dominus

cap. 4. per Oſeę Prophetam loquitur dicens. *Quaſi vacca laſciuientes declinauerunt, & dilexerunt afferre ignominiam protectoribus ſuis*. hæc Alexander. Hic Pontifex ſummus, & glorioſus martyr Alexander declarat, atque ordinat, ſacerdotes eſſe immunes à iudicijs Principum ſecularium, docens, & aſſerens, quod deferentes ſacerdotũ cauſas ad iudices ſeculares violant Dei præceptũ in ipſum Deũ pręuaricãtes, ex quo inſinuat immunitatẽ iſtã perſonarũ Eccleſiaſticarũ à ſeculariũ poteſtate eſſe de ipſius Dei præcepto, & ordinatione.

5. Sixtus Papa I. Anno D. 117. tempore quoque Adriani, epiſtola ſecunda ad omnes Chriſti fideles inquit. Ab hac .n. Sancta Se-

Conc. tom. 1 fol. 42 de à Sanctis Apoſtolis tueri, defendi, & liberari Epiſcopi iuſſi ſunt, vt ſicut eorum diſpoſitione (ordinante Domino) primitus ſunt conſtituti, ſic huius Sanctæ Sedis eiuſque diſpoſitioni eorum cauſas, & iudicia ſeruauerunt, protectione futuris temporibus ſint ab omnibus peruerſitatibus ſemper liberi. Vnde culpantur hi, qui aliter circa fratres egerint quam huius Sedis rectoribus placere cognouerint. Reſolute, & clare ſanctiſsimus hic Pontifex, & martyr Sixtus docet Epiſcopos tueri, defendi, & liberari debere ab omni, ſcilicet vexatione, & ſubiectione Principum ſecularium, & hoc iuſſione Apoſtolorum, Deo ordinante, per ipſam Sanctam Apoſtolicam Sedem.

6. Thelesphorus PP. Anno D. 127. tẽpore Antonini Pij Imp. epiſtola ad omnes fideles inquit: Ipſi uero qui proprio ore corpus Dñi

conc. tom. 1 folio 42 conficiunt, ab omnibus ſunt audiendi, obediendi, atq; timendi, & nõ dilacerandi, aut detrahendi, quia à quibus ſe dñ populus benedici, ſaluari, & inſtrui cupit, nullatenus debet eos arguere, nec vulgus in eorum accuſatione ſuſcipi: populus enim ab eis docendus eſt, & corripiendus non ipſi ab eo, quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrũ: deinde poſt aliqua loquens de omnibus epiſcopis, & ſacerdotibus ſubnectit dicens: Dei filius dominus noſter humano generi ſalutem condonans plenam; de nobis, ait. *Qui vos recipit, me recipit. &*

Lucæ 10 *qui vos ſpernit, me ſpernit*. Si ergo dominus in eis recipitur, & eijcitur, proculdubio ipſius ſunt qui in eis reijcitur, vel ſuſcipitur: & tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum, proculdubio transgreſſor es legis Dei, & apoſtolorum, & prophetarum, & non ſo-

non solum Horum, sed etiam legum humanarum: omnes enim leges tam diuinæ, quam humanæ alienū seruum iudicare prohibent, Hactenus Thelesphoros. Summus hic Pontifex, & inclitus martyr decernit, atque declarat rationibus, & authoritatibus sacræ scripturæ, humanarumq. omniū legū, sacerdotes qui proprio ore corpus domini nostri conficiunt, non posse a secularibus argui, & ita nec iudicari, cum ipsius Dei sint selecti serui, ac ministri, & populorum magistri, de quibus, dixerat, in principio epistolę, sicut laici, & seculares homines nolunt eos recipere in accusationibus, & infamationibus suis, ita nec clerici debent eos recipere in imputationibus suis, quoniam in omnibus discreta debet semper esse, & segregata vita, & conuersatio clericorum à secularium laicorum.

Pius Papa I. Anno D 142. tempore Marci Antonini Veri epist. ad vniuersos Christifideles inquit, Oues enim pastorem suum non reprehendunt, plebs vero Episcopum non accuset, nec vulgus eum, quoniam non est discipulus super magistrum, neque seruus super Dominum. Episcopi autem à Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit, nam à subditis, aut prauæ vitæ hominibus, non sunt arguendi, vel accusandi, aut lacerādi, ipso domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium vendentes Sacerdotes, & ementes eiecit de templo, & mensas nummulariorum proprio euertit flagello, & euertit de templo, & sicut alibi per Prophetam loquitur dicens. *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos discernit.* Si quis autem vero à suo proposito retrorsum exorbitauerit, & iussum Apostolicæ Sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur; & dum intentum confirmat authoritate Psalmi 81. *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos discernit*, docet, & statuit sacerdotes à Deo solo posse iudicari hoc est à iudicibus Ecclesiasticis, ex ipsius Dei ordinatione. Igitur dū docet simul, & ordinat sanctissimus Pontifex, & martyr Pius, Episcopos, & consequenter sacerdotes non esse arguendos, vel accusandos, clare videtur inferre, nec iudicio impetendos à subditis, & secularibus; adducēs ad hoc exemplum domini qui per se ipsum non per alium eiecit ementes, & vendentes de templo Sacerdotes, scilicet, & Ministros templi negotiatores, quo facto insinuat à nemine secularium iudicum Ministros Ecclesiæ posse iudicari.

7 — 6 q. 1. c. oues pastorem. conc. rum. 2. fol. 47 — psal. 81

Eleutherus Anno D. 171. tempore Lucij Commodi Imperat. epist. ad Galliæ Prouincias. De accusationibus ergo clericorū super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiua Episcoporum tantum iudicia huc deferantur, vt huius Sanctæ Sedis authoritate finiantur sicut ab Apostolis eorumque successoribus multorum consensu Episcoporum iam definitum est, deinde post aliqua: Reliquorum

8 — fol. 5a

Habentur concil. to. 1. fol. 52. rum vero clericorum cauſas apud Prouinciales, & Metropolitanos, & primates, & ventilare, & iuſte finire licet, hæc Eleutherius.

9. Victor Papa I. Anno D. 186. tempore Elij Pertinacis Imper. epiſt. 1. ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum ait. Culpantur enim, vt ſcriptũ eſt, fratres, qui aliter circa Epiſcopos iudicare præſumunt, quam Apoſtolicæ Sedis Papæ fieri placuerit, & quis eſt qui iudicat eũ quẽ dominus ſibi, & huic Sanctæ Sedi reſeruari voluit iudicandum? Beatiſsimus Papa, & martyr glorioſiſsimus Victor audacter redarguit omnes illos qui auderent iudicare, quos Sancta Sedes Apoſtolica ex ipſius Dei ordinatione ab alijs non ſibi placuerit iudicari, Sedes autem Apoſtolica, vt ex ſuperioribus ſententijs conſtat à iudicibus laicis Eccleſiæ miniſtros iudicari conſtanter inhibuit de ipſius Dei ordinatione.

Conc. tom. 1. fol. 53.

10. Pontianus Papa I. Anno D. 231. temp. Alexandri Seueri Imp. epiſt. ad Felicem Succribonũ, decernit, & inquit, De Sacerdotibus autem domini, quos vos audiuimus contra prauorum hominum inſidias adiuuare, eorumque cauſas portare, ſcitote vos in eo valde Deo placere, qui ſibi eos ad ſeruiendum aſciuit, & familiares in tantum ſibi eſſe voluit, vt etiam aliorum hoſtias per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, ſibique reconciliaret, ipſi quoque proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt: de illis enim dictum eſt, *qui vos contriſtabit, me contriſtabit; & qui vobis facit iniuriam, recipiet id quod inique geſsit*, in eis quoque dominus honoratur, cuius legatione funguntur. hi ergo ſi forte ceciderint à fidelibus ſunt ſubleuandi, & portandi, ſi peccauerint à reliquis arguuntur Sacerdotibus, ſed à Summis Pontificibus conſtringuntur, & non à ſecularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur, vel arceantur. Aperte Sanctiſsimus, & inſignis martyr Pontianus pernegat Sacerdotes poſſe à ſecularibus argui, & iudicari, dum docet diuinitos eſſe aſcitos in ipſius domini familiares, & ſeruos, vt populis peccata remitterent, proprioque ore corpus Domini conficerent, & populis traderent, quamobrem ſi ipſi Sacerdotes peccauerint, non à ſecularibus, ſed ab alijs Sacerdotibus deberent argui, & vrgente delicti cauſa à ſolis Pontificibus conſtringi.

Conc. tom. 1. fol. 62.

Coloſſ. 3.

11 Fabianus Papa I. Anno D. 237. tempore Gordiani, & Decij Impp. decernit, & inquit: Si in rebus ſecularibus ſuum cuiuſque ius, & proprius ordo ſeruandus eſt quanto magis in Eccleſiaſticis diſputationibus nulla debet induci confuſio, quod iſta obſeruatione obſeruabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur, vnde conſtat Epiſcopos locorum ſingulorum omnium, qui ſub eorum degunt moderamine curam habere ſolicitam, & cauſas

fol. 62.

vtili-

vtilitatesque eorum cum Dei timore disponere; Idem epistola secunda ad omnes orientales episcopos, decernit, & inquit: Ideo hęc permisimus, vt congnoscatur ab his quibus incognitum est, quod sacerdotes quos dominus sibi de omnibus asciuit, & suos esse voluit, nō sunt leuiter tractandi, nec seuere accusandi, aut reprehēdendi, nisi à suis magistris, quoniam eorum causas sibi dominus reseruare voluit, & suo iudicio iudicari: nam in his, & in alijs pręceptis domini, vt fideles cognuscantur, & infideles reprubentur, nullatenus ergo potest cōdemnari humano examine, quem Deus suo iudicio reseruauit, vt prupositum Dei quo decreuit saluare quod perierat fiat immobile, & ideo quia voluntas eius non immuratur, nullus pręsumat, quæ sibi nō sunt cōcessa. Deinde post aliqua in eadem epistola ordinat, & dicit. Similiter statuentes apustolica authoritate iubemus ne pasturem suum oues quæ ei commissæ fuerāt (nisi forte in fide errauerit) reprehendere audeant, quia facta pręposítorum oris gladio ferienda non sunt, neque potest esse discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum, udibilis antē corā Deo, & hominibus est superbia, & execrabilis omnis iniquitas; Valde ergo iniquū est, vt alij quilibet omissis suis se illorum causis admisceant, sed illi eorū vitā, & iudicium cōpetenti, regulariq. moderamine disponere debeant, qui eos in sacerdotium ordinaut, & à quibus iā ordinati sunt, quoniam vt lex loquitur, *Maledictus omnis est, qui transfert terminos proximi sui, & dixit omnis populus, Amen.* Deus ergo fratres ad hoc præordinauit vos, vt omnes qui summo Sacerdotio fungimini iniustitias remoueatis, & præsumptiones abscindatis, & in sacerdotiu laborantibus succurratis. Sacerdotes quoque dominus sibi elegit, vt sacrificent, & afferant oblationes domino, leuitas quoque sub eis esse iussit in ministerijs eorum, vnde & ad Muysen luquitur dicens. *Princeps autem Principum leuitarum Eleazar filius Aaron Sacerdotis erit super excubitores Ecclesiæ Sanctuarij.* de his enim locutus est dominus ad Moysen dicens. *Tolle leuitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora leuitarum pro pecoribus eorum, eruntque leuitæ mei, ego dominus.* Si igitur leuitas suos esse dominus vuluit, quanto magis Sacerdotes sibi asciuit? Omnia vero quæ dicta sunt caute tractanda sunt, & non leuiter præcipitanda. Idem in eadem epistola. Ipsi Apostoli, & eorum successores statuerunt vt sacerdotes Domini non accusent, nec in eos testificentur, qui sui ordinis non sunt, nec esse pussunt.

Habētur hęc omnia verba in epistol. 2. Fabiani, vt in tomo con cil. impresso coloniæ, per Petrū Quintell. anno. 1538.

Deut. 27.

Num 3.

Hæc omnia ibi gloriosissimus martyr, & Papa Fabianus, ex quibus omnibus tria sunt magnopere consideranda, tanquam certissima, & Catholica axiomata Primum ex prima sententia, videlicet quod causæ personarum Ecclesiasticarum quas Fabianus vocat disputationes Ecclesiasticas: vt non admittatur tribunalium,

atque ſororum confuſio, quæ contra iudiciorum naturam eſſet, ad Epiſcopos locorum debeant deferri, ibiq. terminari, & ne quiſpiã putaret in his ſolis Eccleſiaſticis diſputationibus, hoc eſt cauſis mere ſpiritualibus, ſacerdotes, omneſque altaris miniſtros exemptos eſſe à ſecularium Principum tribunali, ſubinfertur ſecundum ex ſecunda ſententia, ſcilicet quod vlterius de ipſius Dei ſpeciali volũtate, propoſito, atque immutabili pręcepto per ipſos ſantiſſimos Apoſtolos pronunciato, ordinatum eſt, Sacerdotes humano examine, hoc eſt ſeculari iudicio non poſſe iudicari, ſed ſolum iudicio ſuorum magiſtrorum, hoc eſt Epiſcoporum, & qui ſeculares ſecus attentarent contra diuinum præceptũ facerent, & ea quæ ſibi non ſunt conceſſa præſumerent. Tertium ex tertia Fabiani ſententia, nimirum, quod non ſolum Epiſcopi ex Apoſtolorum doctrina ſunt liberi, & exempti à iudicijs ſecularium, ſed rationibus ex veteri teſtamento adductis neceſſario concludentibus ipſi quoque Sacerdotes minores atque leuitę, ſcilicet Diaconi, & ſubdiaconi; Sacerdotes inquam ratione ſacrificij, quod domino offerunt, & leuitæ ratione miniſterij, quod in eodem Sacroſancti altaris præſtant ſacrificio, vt intelligatur, quod quandocunque in prænarratis, & narrandis ſententijs, & decretis de ſolis Epiſcopis fit mentio ſpecialis, de Sacerdotibus quoque minoribus, cæteriſque miniſtris ordinis Sacri eadem fieri mentio cenſeatur, & hoc ratione neceſſariæ conſequentiæ; nã ſi Epiſcopos ſibi dominus aſciuit pro miniſterijs Eccleſiaſticis, ita quoque ſibi aſciuit Sacerdotes diaconos, & ſubdiaconos pro Sacroſancto altaris ſacrificio ad quod celebrandum, complendum, & populis exhibendum omnes ex eadem inſtitutione diuina inſeruiunt. Idem quoque in eadem epiſtola inquit. Ipſi Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſtatuerunt, vt ſacerdotes domini non accuſent, nec in eos teſtificentur qui ſui ordinis non ſunt, nec eſſe poſſunt, his vtique verbis per argumentum à minori negatiue, quod ſemper eſt vrgens, & concludens, oſtenditur, quod per ſtatuta Apoſtolorum, & eorum ſucceſſorum, illi, qui non ſunt ordinis ſacerdotalis, nec eſſe poſſunt, hoc eſt ſeculares non poſſunt accuſare Sacerdotes, nec contra eos teſtificari, ex quo de neceſſaria concluſum relinquitur conſequentia, quod virtute eiuſdem ſtatuti Apoſtolorum, multo minus Principes ſeculares poterunt ſacerdotes iudicare.

32. FElix Papa I. Anno D. 271. tempore Aureliani Imperat. epiſt. ſecunda ad Epiſcopos vniuerſos per Galliæ Prouincias teſti-

conc tom 1 folio 108 ficatur, & decreuit, dicens, Nos vero ad ſupplementum veſtrum fratres, & Coepiſcopos noſtros vocauimus amplius quam ſeptuaginta, cum quibus hęc quę ſubter habentur inſerta regulariter tractando decreuimus. Veſtris enim epiſtolis in omnium audientia

per-

perfectis, quę multas (vt noscis) quęrimonias, & oppressiones in
se continebant vestras, decretisque quę sunt de accusationibus Epi
scoporum Sancta Synodus dixit. Hæc sunt quæ deinceps propter
malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam, & in Ecclesiasticos
sæuiunt viros indifferenter, conseruare firmissime volumus in se-
cula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt
fuerit accusatus, postquam ipse charitatiue conuentus fuerit, vt ip
sam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim
sed tunc ad summos Primates causa eius canonice deferatur,
qui in congruo loco intra ipsam Prouinciam tempore congruo
Concilium regulariter conuocare debebunt, ita vt ab omnibus
eiusdem Prouinciæ Episcopis inibi audiatur. Hac nimirum testi
ficatione, & decreto Felicis Papæ I. clare colligitur, quod dum cau
sa Episcoporum non potest deferri, nec determinari, nisi à Sum-
mis Primatibus, infertur, quod nullo pacto iudicialiter cognosci po
test à Principe seculari.

Caius Papa I. Anno D. 283. tempore Diocletiani Imp epist. ad 13.
Felicem Episcopum sic decreuit Nemo vnquam Episcopum xl q 1 c Nemo vnquam
apud Iudices seculares, aut alios clericos accusare præsumat. De fol. 168
cretum certe Sanctissimi huius Pontificis, & martyris Gaij sicuti
breuissimum, ita & apertissimum est ad innuendum Principes secu-
lares nullam habere iurisdictionem in personas Episcoporum om-
niumq; aliorum clericorum, dum prohibet accusari clericos apud
Iudices seculares, nam vbi non est forum proprium non est pote-
stas iudicandi, quia forum sortiri, & statutis ligari paria sunt. DD.
in l. omnes populi, ff. de iust & iure.

Marcellus Papa I. Anno D. 304. tempore Constantij, Gale-
rij atque Maxentij Imper. ea Apostolorum doctrina, sanctio 14.
nibus precessorum, ita super omnes specificate decreuit, & dixit. 11. q. 1. c. nullus Episc.
Nullus Episcopus pro ciuili, neque pro criminali causa apud quem
uis Iudicem, siue ciuilem, siue militarem producatur, vel exhibea
tur: Magistratus enim qui hoc iubere ausus fuerit amissione re-
rum, & cinguli condemnatione plectetur. Nec mirum quod Sãctis-
simus hic Pontifex, & martyr Marcellus super omnes alios adeo Conc. tom. 1 fol. 123
clare, & distincte, ac libere cum omnibus ad rem legalibus clau-
sulis requisitis libertatẽ personarũ Ecclesiasticarum explicat, atq;
decernit in ipsis pronunciatis Episcopis, & consequenter, vt ea Fa
biano dictum est, intelligẽs decernere, & loqui de omnibus Ecclesia
sticis ministris cum specificatione causarum ciuilium, & crimina-
lium, Iudicis ciuilis, vel militaris, cum assignatione, & iniun-
ctione pęnarum in Magistratus contraria audentes, amissionis re-
rum, & condemnationis cinguli, hoc est officij: quia ipse quoque
pręcipuus inter omnes pręcessores legitur tantę extitisse fortitudi

nis

nis animi, atque ſapientiæ, vt ipſum tyrannum tunc Maxentium per epiſtolam ad eum miſſam grauiter redarguere non metuerit, in qua quamplurima alia de hac Eccleſiaſtica immunitate diſſerit docens quomodo ſe modeſte, & reuerenter gerere debet, omnis Princeps erga perſonas Eccleſiaſticas, & ipſas Eccleſias, occaſione cuius epiſtolæ ſibi ſingulare martyrium, ac diuturnū conquiſiuit, dū infenſo tiranno mandante in catabulo beſtiarum recluſus propter loci fœditatem pedore confectus obdormiuit in Domino, ſummus Pontifex ac martyr glorioſus in Eccleſia Sancta Dei hic Beatiſſimus Marcellus. Ergo teſtificatio ipſius atq; ſententia abſque diſciplinæ Eccleſiaſticę notabili pręiudicio refelli non poteſt, quare dum aſſerit, & decernit Epiſcopos, & conſequenter ſacros clericos omnes, nec pro ciuili, nec pro criminali cauſa apud quemuis Iudicem ſecularem produci poſſe, ſeu exhiberi, certò illos debere liberos, & immunes ab omni poteſtate laica eſſe declarat.

EVſebius Papa An. D. 310. tempore Maxentij, & Conſtantini
15. Impp. epiſtola prima ad omnes Galliæ Epiſcopos, ſic declarat, & ordinat. De accuſationibus vero clericorum ſuper quibus mandaſtis, ſcitote à tempore Apoſtolorum in hac Sancta Vrbe ſeruatum eſſe, accuſatores, & accuſationes cum exterarum conſuetudinum, leges nō aſciſcant à clericorum accuſatione ſubmotas. Similiter laicos non accuſaſſe Epiſcopos, hactenus obſeruatum, & conſtitutum eſt, quia eiuſdem non ſunt conuerſationis, & oppidò, eis quidem infeſti exiſtunt, quippe cum vita eorum, & conuerſatio debeat eſſe ſecreta, & à laicorum actibus remota, nec ab his impeti debeant, quorum caſtitatem, & grauitatem nolunt imitari, maxime cū nec hi eos in his valeant recipere accuſationibus. Idem in eadem inquit. De ipſis vero ſuis agricultoribus atque miniſtris, dominus, laicis, & cunctis perſequentibus eos ait. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Et ipſa ſacra ſcriptura dicit. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Talia enim, & his ſimilia Sancti Patres præuidentes pericula, laicos ſeculo militantes ab accuſatione ſacerdotum prohibuere. Nam ſi hoc Apoſtoli, aut ſucceſſores eorum permitterent, perpauci remanſiſſent, qui domino in ſacerdotali ordine militaſſent. Ex ſententia huius Beatiſſimi Pontificis, & martyris Euſebij quatuor pro libertate Eccleſiaſticarum perſonarum notatu digniſſima excipiuntur: Vnum, quod à tempore Apoſtolorum uſque ad tempus ſuum tirannis etiam Idololatris regnantibus ſemper obſeruatum in vrbe fuit, clericos non accuſari, ſcilicet apud Iudices ſeculares. Alterum, quod exterarum conſuetudinum leges accuſare clericos non aſciſcunt, hoc eſt quod nullæ leges, ſeu nulla conſuetudo quæ vim legis obtineret inter Chriſtianos tunc apparebat, quę pręcipe-

3. q. 5. c. de accuſationibus: conc. tom. 1. fol. 124.

pſal. 104.

Zach. 2.

pa-

peret recipi accusationes in clericos. Tertium, quod differentia vitæ clericorum à vita laicorum de sua ratione naturali ad expostulat, vt laici non debeant clericos accusare cum sint differentis vitæ, & politicæ conuersationis. Quartũ quod sicut ad accusandum laicos ea libertate, qua leges seculi disponunt ad vindictam scili cet sanguinis, Clerici non recipiuntur, ita quoque requirit æquitas iusti, vt nec laici ad accusandum clericos secundũ eandẽ libertatem ad sanguinis vindictã iuxta leges seculi recipi debeant: ex quibus omnibus simul comprehensis hæc clarissima, atque firmissima eruitur conclusio. Quod Iudices seculares in suis iudicijs non possunt recipere accusationes contra clericos, & ex consequenti, nec eos vllo pacto iudicare.

MElchiades Papa I. Anno D. 311. tempore eorundem Imperatorum Maxentij, & Constantini, epistola ad omnes Hispaniæ Episcopos, decernit, & inquit. Hoc enim priuilegium huic Sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum, statutum est seruare, quod illesum maneat vsque in hodiernum diem Episcopos quos sibi dominus tanquam oculos elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, & soluendi dedit potestatem suo iudicio reseruauit, hocque priuilegio beato claugero Petro sua vice solummodo commisit, deinde quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes in posterum cuncta sibi vendicarent, sed semper maiores causæ sicut sunt Episcoporum, & potiorum curæ negotiorum ad vnam Beati Petri Principis Apostolorum Sedem confluerent, & inde suscipiant sensum iudiciorum, vnde acceperunt initium institutionum, ne quandoque à suo discreparent capite. Hactenus Melchiades. Qui quidẽ continuata serie declarat à temporibus Apostolorum Episcopos, & consequenter Sacerdotes, & clericos sacro altari deseruientes cum ipsis Episcopis iudicio solum Dei hoc est Ecclesiastico esse reseruatos de ipsius Dei ordinatione, & ideo esse omnino liberos atque immunes à iudicio laicorum, & potestate. 16

conc. tom. 1. fol. 130.

SIluester Papa I. Anno D. 315. tempore Constantini Augusti in concilio, quod in vrbe Roma celebrauit intra Thermas Domitianas præsente eodem Constantino Augusto, & 275. Episcopis, vt legitur in eiusdem concilij decretis, cap. 3. Ita dixit. Nulli omnino clerico licere causam quamlibet in publico examinare, nec vllum clericum ante iudicem laicum stare, & dixerunt omnes Episcopi, placet. Item in eiusdem concilij narratione sic habetur. Consensu, & subscriptione omnium constitutum est, vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Deinde post aliqua. Nemo enim clericus quemlibet in publico examinari præsumat, nisi in Ecclesia nemo enim clericus, & diaconus, ac presbyter propter quamlibuum 17

conc. tom. 1. fol. 165.

bet cauſam intret in curiam, nec ante Iudicem cinctum cauſam dicere præſumat, Ecce quam claré quamque libere coram Conſtantino Magno Imperatore decretum eſt in illo concilio nullum clericum ante Iudicem laicum ſtare. Hoc eſt nullum clericum à Iudice laico poſſe cognoſci iudicialiter, neque ante Iudicem cinctum, hoc eſt iudicem laicum pro tribunali ſuo ſedente ſuam poſſe cauſam dicere. Ex quo quidem communi Patrum decreto, ipſe Conſtantinus didicit Epiſcopos, Sacerdotes, & alios altaris ſacri miniſtros eſſe ipſius Dei iudicio reſeruatos, neque à quocunque laico Principe poſſe iudicari; quemadmodum, & ipſe Conſtantinus poſtea in Concilio Niceno faſſus eſt, & exequutus, ſicuti mox ex hiſtoria Ruffini, & Sozomeni recenſebimus.

18 IN Concilio Carthaginenſi I. ſub Silueſtro, vel Marco Papa congregato, cap. 9. ſic habetur. Gratus Epiſcopus dixit. Nulli dubium eſt, quod omnes, vel Domini, vel Procuratores, vel quicunq; præſunt, cũ audierint ſaluberrima inſtituta concilij, & ſibi eſſe cõſultũ nec impeditũ, propriã debebũt tẽperare iniuriã in clericis noſtris. Quod ſi iniuria cõſtitutionis imperatoriæ clericos inquietãdos putauerit, ſi defenſio Eccleſiaſtica nos nõ deridet pudor publicus vindicabitur. Vniuerſi dixerũt ſaluberrime profeſſiones debuerunt a tanto concedi Concilio; hæc ibi. Ex his equidem colligitur manifeſte, quod quia tunc certe fit iniuria clerico, quando apud Iudicem laicum compellitur conuenire, ideo ad defenſionem immunitatis clericorum, & ad vindicandum pudorem hunc publicum, decretum eſt, vt omnes Epiſcopi teneantur iniuriam iſtam temperare, & compeſcere, quamuis pro ſuo tempore aliqua conſtitutio imperialis obſiſteret. Cum defenſio Eccleſiaſtica, hoc eſt iure defendendi immunitatem clericorum, atque libertatem, nos non derideat, hoc eſt ſtabilis ſemper, & confirmata permaneat, ſcilicet ex ipſius Dei ordinatione à temporibus Apoſtolorum quemadmodum plures ſummi Pontifices conteſtati ſunt.

conc. tom. 1. fol. 146.

19. SEriem iſtam tot Sanctiſsimorum Pontificum, atque prærogatiuam Eccleſiaſticæ huius libertatis, ſeu defenſionis, eodem tempore Silueſtri, conſeruat, & adauget factum illud admirabile Magni Conſtantini Auguſti in ſynodo generali in Nicea Bithiniæ congregata. Nam vt narrat Ruffinus, lib. 1. cap. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Sozomenus in hiſtoria tripartita, lib. 2. cap. 2. quod legitur etiam in præfatione eiuſdem concilij ante actionem primam. Cum ex omnibus penè locis Epiſcopi conueniſſent, & diuerſis ex cauſis inter ſe diuerſa iurgia detuliſſent, interpellabatur Conſtantinus, & frequenter à ſingulis offerebantur libelli, & culpę proferebantur; at ille ſuſcepit à ſingulis libellos, quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec quod in eis contineretur aperiens, ait ad eos, Deus vos

constituit Sacerdotes, & potestatem dedit vobis Iudicandi quoque de nobis, ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, vt & vestra iurgia quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos cum nobis à Deo dati estis Dij, conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est, *Deus stetit in Synagoga deorum in medio autem Deos diiernit*. Cum hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne ignoresceret vlli odium, & suggillatio Sacerdotum: hæc ibi. Nec audiendi sunt vllo pacto ij, qui de sua imaginatione leuissime cogitant dicentes, Verba hæc Constantinum ex sola sua deuotione, & pietate protulisse. Falsum vtique est hoc commentum, & temerarium. Quoniam vt colligitur ex eadem historia, & si Constantinus verba hæc dixerit ex pietate, attamen illa non protulit præter id, quod vere sentiebat, quod siquidem ex ordinatione diuina constitutum esse intellexerat a Siluestro, & alijs patribus, vnde, & in rei comprobationem sic instructus à patribus, authoritatem Prophetæ psal. 81. allegauit dicens. *Deus stetit in Synagoga deorum in medio autem Deos discernit*. Et hoc vtique totum in signum veri, & realis iudicij super Sacerdotes, quod nimirum ex ipsa ordinatione diuina non esset amplius penes Principes seculares, quam siquidem psalmi authoritatem ante ipsum Constantinum annis ferre ducentis ad eandem veri iudicij Ecclesiastici, contestationem adduxerat Pius Papa I. vt superius, num. 7. est recensitum. Psal. 81

Hinc Franciscus à Victoria insignis nostri temporis theologus, eiusque discipulus Dominicus Sotus eadem verba Constantini in disputationibus recolentes dicunt. Constantinum, vt instructum à Siluestro, & alijs Sanctis Patribus illa protulisse. Vnde censendum est, vt superius insinuauimus, quod ipse imperator Constantinus, cum fuerit præsens concilio in Vrbe Roma à Siluestro congregato, audieritque auribus proprijs Siluestrum proponentem, & omnes Episcopos correspondentes, nullum clericum ante iudicem laicum stare sicuti superius est recensitum: Inde sic edoctus verba illa in Synodo Nicena protulerit in sensu suo vero, ac proprio, quem iudicij natura, & forma requirit. Vbi superius num. 1. 11. 111.

IVlius Papa I. Anno D. 336. tempore Constantini Imper. in suis decretis 16. & 17. inquit: Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est, vt ab exteris iudicentur, qui comprouinciales, & à se electos debent habere iudices, & cap. 36. dicit. In Sancta Nicæna Synodo statutum est, vt nemo anathematizatus in nostram suscipiatur accusationem, nec illi qui nos in suam nolunt recipere accusationem, cum nos super illos sciamus à domino constitutos, non illos super nos, & sicut maior non potest a minore iudicari, ita nec obligari, quia ratum 20 3. q. 6. c. peregrina iudic. 2. q. 7. c. in sancta Nic.

eſt omne quod magnum eſt, portemus onera omnium qui grauantur, quinimo hæc portat in nobis Beatus Petrus Apoſtolus, cuius vice fungimur legatione, & cuius regula informamur quatenus eius fulti auxilio nunc, & in perpetuum ab omnibus tueamur aduerſis. Dum hic Sanctiſſimus Pontifex Iulius, indignum dicit eſſe, aliquos ab exteris iudicari, multo magis indignum, & iniuſtum eſſe concludit Eccleſiaſticos à ſecularibus iudicari, qui non ſolum ratione diuerſi tribunalis & fori ſunt a clericis exteri, ſed etiam clericos ſuper laicos, non laicos ſuper clericos a domino eſſe conſtitutos, & ſicut maior non poteſt a minori iudicari, nec obligari, ita colligitur, clericos tanquam maiores laicis omnibus, & digniores ab eos nec iudicari poſſe, nec obligari.

21 conc. tom. 1. fol. 231.

DAmaſus Papa I. Anno D. 366. tempore Valentiniani, & Theodoſij primi Imper. epiſtola prima ad Stephanum Archiepiſcopum inquit: Vt antiqua tradit auctoritas, Sacerdotes criminari non poſſunt, neque in eos teſtificari, qui ad eundem non debent nec poſſunt prouehi honorem. Idem Epiſtola tertia ad Stephanum, & ad concilia Aphricæ dicit: Neq. enim proterue, aut ſtimulo ſuę cogitationis impulſus (vt ſepe actum cognouimus) detrahere, aut accuſare pręſumāt quemquam Sacerdotum, quia iniuria eorum ad Chriſtum pertinet, cuius vice pro populo Chriſti ſanguine redempto funguntur. Cauſas enim eorum quia cauſæ dei ſunt eius eſſe iudicio ſcimus reſeruandas, qui valet corpus occidere, & animam mittere in gehennam: deinde poſt aliqua in eundem finē, inquit: Non quod noui aliquid nunc imperatur, ſed illud quod per deſidiā aliquorum, aut ſcienter, aut negligenter tranſgreditur, deinceps obſeruetur ab omnibus, vt illa ſemper quæ apoſtolica & patrum traditione inſtituta ſunt ſub metu, irrefragabili authoritate teneantur. Hæc Damaſus. Videte quam aperte, quam indubitate, quam libere Beatiſſimus hic ſummus Pontifex, inclitus Chriſti Domini Noſtri Confeſſor Damaſus admonet, docet, decernit libertatem, & immunitatem perſonarum Eccleſiaſticarum a Principum ſecularium iuriſdictione, ordinatam, & inſtitutam eſſe per Apoſtolorū, & patrū traditionē, nec aliquādo poſtea interceptā niſi ſolum ob deſidiam & negligentiam aliquorū Prælatorum.

Immunitas Eccleſiaſtica Apoſtolorū & patrum traditione.

22 23. q. 1. c. placuit

PAtres in Concilio Carthaginenſi 3. ſub Siricio Papa qui præfuit Eccleſiæ Anno D. 384 can. 9. dicunt. Placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum, ſeu clericorum, cum in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi derelicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiam ſi pro ipſo lata fuerit ſententia locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione, in ciuili vero perdet, quod euicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit, Siquidem ad eligendos iudices ini-

que de Ecclesiæ consortio iudicat, qui de vniuersa Ecclesia male sentiendo, de iudicio seculari poscit auxilium, cum priuatorum etiam causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibidem terminari præcipiat: Attente considerandum quam clare, atque distincte Patres in Concilio hoc 3. Carthaginensi ab eodem Papa Siricio confirmati, immunitatem personarum Ecclesiasticarum a iudicijs laicorum remotam declarant, tam in causa criminali, quam ciuili condignis iniunctis pœnis, & quod magis est, & magnopere ponderandum, asserunt de Ecclesiæ Vniuersalis disciplina male sentire clericum, qui de iudicio seculari poscit auxilium.

Male sentie de discipl. na Eccl. cathol. qui clericus ad iudicium recurrit secularè. 1. cor. 6.

INNocentius Papa I. Anno D. 40?. tempore Honorij, & Theodosij II. Imperatorum, In decretis suis, decreto 3. ordinat, & inquit. Si quæ causæ, vel contentiones inter clericos, & laicos, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, vt secundum Nicænam synodum congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis iudicium terminetur. Idem epistola 18. ad Alexandrum Episcopum, cap. 2. inquit. Nam quod sciscitaris, vtrum diuisis imperiali iudicio prouincijs, vt duo Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari, non vere visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum, Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut diuisiones perpeti, quas pro suis causis faciendis duxerit Imperator. Admodum manifesto eloquio, & decreto, hic Sanctissimus Papa Innocentius, cuius sanctitati, ac doctrinæ plurimum in suis epistolis defert S. Hieronymus adducto Nicæni Concilij decreto, determinat omnes clericorum, & laicorum causas inter se excitatas a solis Episcopis terminari, & adtentatum Imperatoris super Ecclesijs diuidendis nullius esse valoris, neq. Ecclesiarum statum posse quoquo pacto Imperatorem cõmutare, hoc est sine licentia, & concessione Sedis Apost. 23.

11. q. 1. c. si quæ causæ, conc. Tom. 1. p. 2. fol. 168.

IN Concilio Mileuitano sub eod. Pontifice Innocentio celebrato, ab eodem confirmato, cap. 13. sic continetur. Insolita præsumptio vsque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, vt clerici clericos suo relicto Pontifice ad iudicia publica pertrahant, proinde statuimus, vt hæc de cætero non præsumantur. Si quis hoc præsumpserit facere, conuentus, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus. 24

11. q. 1. c. insolita. Legitur etiã in conc. Tol. 3. can. 13

SIxtus Papa III. Anno D. 432. temp. Valentiniani Augusti, epistola ad Orientales inquit, & decernit. Si quis Episcopus, aut diaconus, aut quilibet clericus apud Episcopos, (quia alibi non potest) à qualibet persona accusati fuerint, quicunque fuerit vir ille, siue sublimis honoris, siue alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, nouerit, dicenda probationibus, mostranda documentis, se debere inferre. 25.

fol. 319.

26 LEo Papa I. Anno D. 440. tempore Theodoſij ſecundi, & Martiani imper. epiſtola 94. ad Epiſcopos, & presbyteros, intrà Thraciam prouinciam conſtitutos decernit dicens: Cum & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentius ſit, & legibus confirmatum, pręſenti tamen tempore à pleriſque inuenimus fuiſſe calcatum, nam prętermiſſo ſacerdotali iudicio, paſſim ad examen ſeculare tranſire, quocirca nobis viſum eſt, vt hanc & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens vlciſceretur plena diſtrictio; & obſeruandam formulam conſtitueremus in futurum. Cenſemus itaque vt quicunque prætermiſſo ſacerdote Eccleſiæ ſuę ad diſceptationem uenerit ſecularium, ſacris liminibus expulſus, cæleſti arceatur altario, nec ullus poſt hanc definitioné, qui cõmuni ſeruit arbitrio, quicquam ſibi ultra pręſcriptum vendicare oitatur; & ita fiet, vt hic qui ante errauere congrua emendatione ſe corrigant, & qui ſub obſeruatione clericali cæleſti probatur ſeruire officio, ex clero abijciendum ſi prętermiſſo ſacerdotum iudicio, ſecularem adierit poteſtatem, quod ideo ſingulos vniuerſoſque volumus agnoſcere, vt quod pleno iuſtitiæ, & iuris ordine conſtitutum eſt, effectum totius firmitatis in omnibus clericorum negotijs ſortiatur. Si clericus laicum pulſet prius ſe audiri ab epĩſcopis poſcat, tum ſi petitioni ſuę laicum viderit obuiare, ex permiſſu Epiſcopi ſui in ſeculi moderatores diſceptatione confligant. Leo Epiſcopus ſcribit. Victorius Epiſcopus ſcribit. Euſtarius Epiſcopus ſcribit. Hęc omnia ibi. Elegãtibus verbis more ſuo ſemper breuioribus ſimul, ac fęcondis Beatiſſ. Pontifex, glorioſuſque Chriſti Confeſſor Leo explicat, atque corroborat libertatem, & immunitatem perſonarum Eccleſiaſticarum à laica iudiciali poteſtate eſſe iure antiquiſſimo Eccleſiaſtico conſtitutam longe prius quam pij, & religioſi Imperatores legibus ſuis permitterent omnia clericorum negotia ab Epiſcopis diſtringi, & terminari insinuans Apoſtolorum doctrinã ex Dei ordinatione per ſanctionem canonicarum formularum prius conſtitutam, per leges deinde Imperiales eſſe roboratam, & quod ſi ſuo tempore reperiretur intercepta eadem obſeruatio, hoc non vſurpatione Principum Chriſtianorum, conſuetudine, ſiue iuſta pręſcriptione adueniſſe, ſed ſola ipſorum clericorum vitronea transgreſſione, qui cauſas ſuas maluerant ſecularibus deferre iudicibus quã Sanctis Epiſcopis. Vnde clariſſime colligendum relinquitur, quod Theodoſius II. Imperator: qui Sanctiſſimi huius Pontificis Leonis tempore imperauit, leges quas ſuper iſta Eccleſiaſtica exemptione, & immunitate condiderit, non ipſam Eccleſiaſticam libertatem primo inſtituens fecerit, aut ab alijs præceſſoribus imperatoribus inſtitutam amplians, ſed ſolummodo ſuo modo confirmauit, & brachio

ſuo

ſuo temporali ac prepotenti, impedimenta, & abuſus introductos repellendo ſub pœnis, & hoc ſuo tempore, vt dictum eſt, poſt ipſam clericorum immunitatem à temporibus Apoſtolorum, Dei ordinatione iam antea inſtitutam, & formula canonicis ſucceſſiue ſpecificatam, legibus tamen deinde imperialibus roboratam.

IN Concilio Calcedonẽſi, vno ex quatuor celeberrimis, ſub eodem Leone I. Papa celebrato cap. 9. ita continetur. Si clericus aduerſus clericum habet negotium non relinquat ſuum Epiſcopum, & ad ſecularia iudicia non recurrat, ſed prius negotium agitetur apud proprium Epiſcopum, vel certe ſi fuerit negotium ipſius Epiſcopi, apud arbitros ex vtraque parte electos audiatur negotium. Si quis vero contra hoc fecerit, canonum correctionibus ſubiaceat, & ſi clericus aduerſum ſuum Epiſcopum habet cauſam, apud audientiam ſynodi prouinciæ conqueratur. Ecce quomodo à ſexcentis, & triginta Patribus præſente Imperatore tunc Martiano, libere, ac ſecure decernitur ſine aliqua Imperatoris obiectione, cauſas omnia clericorum agitari ſolummodo apud proprium Epiſcopum, & nullo pacto apud iudices laicos. Quinimo ipſe Martianus Imperator, vt legitur eiuſdem concilij actione ſexta inter cętera dixit Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini ſynodo intereſſe voluimus, vt veritate inuenta non vltra multitudo prauis doctrinis attracta diſſideat. Deinde poſt aliqua ſubiunxit: Quædam capitula ſunt quæ ad honorem veſtræ reuerentiæ vobis reſeruauimus, decorum eſſe iudicantes a vobis regulariter potius firmari per ſynodum, quam noſtra lege ſanciri. Ex quibus religioſi Imperatoris dictis colligitur, quod ea ipſa quæ decreta ſunt à Sacro Concilio de ſacerdotum, & clericorum immunitate, adeo plane, & authentice haberi debere per ipſum Concilium, vt non oporteat aliqua Principis authoritate confirmari. 27 xi q. 1. c. ſi clericus

IN Concilio Agathenſi prouinciali ſub eodem Leone I. celebrato can. 32. ſic continetur Clericum nullus præſumat apud ſecularem iudicem Epiſcopo non permittente pulſare, ſed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat, vel proponat, nec audeat criminale negocium in iudicio ſeculari proponere. Item in eodem Concilio, ſic habetur: Placuit, vt ſi clericus relicto officio propter diſtrictionem ad ſecularem iudicem confugerit & is ad quem recurrit ſolatium et defenſionis impenderit, cum eo de Eccleſiæ communione pellatur. 11. q. 1. c. nullum. Item c. conc. tom. 1. p. 2. fol. 318. xi q. 1. c. placuit

IN Concilio Venetico etiam prouinciali ſub eodem Leone Papa celebrato, in principio, ante editos ſexdecim canones, ſic habe- folio 519

habe-

habetur. Itaque quoniam nos in Eccleſia Venetica, cauſa ordinandi Epiſcopatus congregauit, factum eſſe credimus de regula Eccleſiaſt. quæ nobis donãte domino credita eſt, & de diſtrictione cuius curã non ſine culpa noſtra omittemus, habita collatione, ut quæ in priorũ Patrũ ſtatutis vidimus omiſſa, & procedente tempore ex nimia licentia prolabente ſeculari libertate præſumpta ſtatutis ſaluberrimis ſanciremus. Deinde canonem nonum: ſic condunt, Clerico niſi ex permiſſu Epiſcopi ſui ſeruorum ſuorum ſecularia iudicia adire non liceat, ſed ſi fortaſſe Epiſcopi ſui iudicium cœperit habere ſuſpectum, aut ipſi de proprietate aliqua aduerſus ipſum Epiſcopum fuerit nata contentio, aliorum Epiſcoporum audientia, non ſecularium poteſtatum debebit ambire, aliter à communione habeatur alienus.

28 conc. tom. 1: fol. 1004

GElaſius Papa I. Anno D. 462. tempore Theodorici Gothi Italiæ tyranni, & Anaſtaſij Imperatoris, epiſtola prima ad Siculos, de bene gerendis rebus Eccleſiæ ab epiſcopis, loquens de iudicibus ſecularibus, qui clericos tanquam ſubditos adreotabant, ſed non adro libere, inquit. Quod ſi hęc tentare formidant nec ad ſuę pertinere cognoſcunt modulum poteſtatis, cui tantum de humanis rebus iudicare permiſſum eſt, non etiã pręeſſe diuinis, quomodo de his per quos diuina miniſtrantur iudicare pręſumunt? fuerunt hæc ante aduentum Chriſti, ut quidam figuraliter tamen adhuc in carnalibus actibus conſtituti, pariter Reges exiſterent, pariter ſacerdotes: ſanctum Melchiſedech fuiſſe ſacra prodit hiſtoria, quod in ſuis quoque diabolus imitatus eſt, utpote qui ſemper, quæ diuino cultui conuenirent ſibimet tyrannico ſpiritu vendicare contendit, ut Pagani Imperatores, iidem & Maximi Pontifices dicerentur. ſed cum ad uerum uentum eſt, eundem Regem, atque Pontificem, vltra ſibi, nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vſurpabit. Idem Gelaſius epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem. Duo

96. diſt. c. Duo ſunt.

ſunt quippe Imperator Auguſte quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas, in quibus tanto grauius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regi minibus (vel legibus) hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem: & poſt pauca: Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſſe redigi voluntatem, talibus igitur inſtitutis, talibuſque fulti authoritatibus, plerique Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excommunicauerunt, & c. Clare, & aperte, atq ſecure hic Sanctiſſimus Pontifex Gelaſius declarat, quod nõ niſi de vſurpatione temeraria Principes ſeculi pręſumunt iudicare miniſtros Eccleſiæ, & adducto ex ſacra ſcriptura exemplo figurali nempe Melchiſedech tunc ſacerdote, ſimul, & Re

ge con-

& concludit, quod Principes infideles diabolica inſtigatione præſumpſerunt officia Regis ſimul & Pontificis ſibi vendicare; ſed poſt Chriſtum verum Regem ſimulque Pontificem in Eccleſia Catholica, fuiſſe diſtincta Pontificum, & Regum tribunalia, hoc tamen ordine, vt tribunal Regis a ſacerdotali penderet iudicio, & non è diuerſo, ex quibus Gelaſij Papæ ſententijs apertiſſime colligitur nullo prorſus pacto miniſtrorum Eccleſiæ cauſas quaſcunque illæ ſint ciuiles, vel criminales a tribunali Regio poſſe cognoſci: Et hoc dum a principio dicit cum emphaſi, *Quomodo de his, (ſcilicet miniſtris, & perſonis Eccleſiaſticis) per quos diuina miniſtrantur iudicare præſumunt?*

Simmacus Papa Anno D. 498. tempore Anaſtaſij Imper. in quinta ſynodo Romana ſub ipſo habita, act. quinta, poſtquam aliqua dixerat de accuſatoribus inimicis, vel de inimici domo, aut alias ſuſpectis non audiendis, vt habetur 3. q. 5. c. accuſatores. ſubnectit dicens ad Epiſcopos in ſynodo congregatos. Quid ad hæc vobis chariſſimi fratres videtur prudentia veſtra pro Eccleſiaſtica quiete, vel indemnitate vniuerſi edicite. Vniuerſa ſynodus dixit, Epiſcopalem perſecutionem, & Eccleſiarum abſciſſionem, vel vaſtationem, atque ſeruorum Dei inſectationem fulti prædicta authoritate, & omnium Sanctorum Patrum prohibitione veſtraque conſolatione, communi tractatu pariter in futurum, robuſte, ac veraciter amputantes, Sanctorum Patrum ſacrata firmantes expreſſis ſententijs ſancimus, ne vnquam talia à quoquā noſtris, aut futuris temporibus præſumantur, &c. Hic Sanctiſsimus Pontifex Simmachus cum tota tunc Epiſcoporum ſynodo, decernit, deliberat, & robuſte, ac veraciter, (vt ipſimet loquuntur) amputat omnem temeritatem iudicum ſecularium inſectandi, (ſcilicet in iudicijs) perſonas Eccleſiaſticas, pro continenda, & conſeruanda in futurum, & ſemper, libertate & immunitate Eccleſiaſtica, quam vocibus ſynonimis, & appoſitis, quietem, & indemnitatem vocant. Hinc apertiſſime deprehenditur quam inconſulte dixerit Theologus Venetus in ſua conſideratione ſuper cenſuris Sanctiſsimi D. N. Pauli V. fol. 9. verba illa ſua videlicet. Quoniam certum eſt, quod hoc nomen, ſcilicet (libertas Eccleſiaſtica) nouum eſt, & non auditum in Eccleſia per duodecim ſecula factum audax falſum, & ementitum cum in hoc teſtimonio Simmachi Papæ, & quintæ ſynodi Romanæ ſub eodem ab An. D. 498. immunitatem Eccleſiaſticam iſtam efferant in ſuo eleganti[o]ri verbo indemnitatem vocantes, nam immunitas, & indemnitas pro eodem ſua apte poteſtate apud latinos accipiuntur: & quid nanque eſt immunitas, & indemnitas, niſi quædam libertas?, non illa ſiquidem quæ dicitur Chriſtiana libertas, de qua Apoſtolus ad Rom. 6. & ad Gal. 4. ſed

illa

29 concil. tom. 2. p. 2. fol. 1542

Libertas Eccleſiæ, quies, & indemnitas appellata tempore Simmachi Papæ.

Etenim pro ſynonimis vocib. idem ſignificantibus accipi ſolent, cuius definitio ad, Liber eſto, & rutum, & indemnem, ſentit tenta bens. Vlp. in l. bona fide, ff. de ſolut. Officium iudicis con-

illa alia ſecundum quam perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt immunes, & exemptæ a ſecularium iudicum poteſtatibus: vt docte ambas libertates diſcernit doctiſſimus Io: Driedonius, lib. 2. de libertate Chriſtiana, cap. 1. dicens; Verum hic ſciendum aliud eſſe libertatem Eccleſiaſticam, aliud vero libertatem Chriſtianorum, ſeu libertatem Eccleſiæ communis clero, & laico: nam libertas Eccleſiaſtica eſt immunitas illa ſecundum quam perſonæ Eccleſiaſticæ, & res Eccleſiæ ſunt ex iure diuino, aut humano, aut ex priuilegio immunes, & exemptæ a ſecularium iudicum poteſtatibus, &c. libertas vero Chriſtiana non facit Chriſtianos ab huiuſmodi legibus liberos, & immunes; hæc ibi Driedonius. Idem Simmacus in ſynodo ſexta habita tempore Theodorici Regis de inuaſoribus rerum Eccleſiaſticarum, ſic ordinat dicens. Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra diuina mandata præſumere, nec quicquam, quod Euangelicis, vel Propheticis, aut Apoſtolicis regulis obuiet agere; iniuſtum iudicium, & definitio iniuſta, Regio metu, & iuſſu, aut cuiuſcunque Epiſcopi, aut potentis a iudicibus ordinata, vel facta non valeant. hoc in Concilio idem Beatiſsimus Papa Simmacus declarat, omnia Principum, & aliorum quorumcunque ſecularium potentum facta, vel ordinata aduerſus libertatem Eccleſiaſticam, & canonicas ſanctiones nullius eſſe momenti, dum Apoſtolicis regulis aſſerit obuiare omnem diffinitionem Regio metu, vel cuiuſcunque Prælati in contrarium ordinatam, & factam.

quetur, vt indemnis maneat, ſcilicet a grauaminibus cõibus; quibus in locis indẽnitas ſecundum elegantiorẽ linguã Latinã p immunitate, & libertate ab oneribus, & ſubiectionibus cõibus:

96.dist.c. non licet.

30. Felix Papa III. Anno D. 526. tempore Iuſtiniani Imp: vt refert Gratianus in diſtinctione, cap. certum eſt ſcribens ad ipſum eundem Principem, inquit. Certum eſt hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, vt cum de cauſis Dei agitur iuxta ipſius conſtitutionem Regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere non præferre, & Sacroſancta per eorum præſules diſcere, quam docere Eccleſiaſticam formam ſequi non huic humanitus ſequenda iura præfigere, neque in eius ſanctionibus velle dominari cuius clementiæ Deus voluit tuæ piæ deuotionis colla ſubmittere, ne dum menſura cæleſtis diſpenſationis exceditur eatur in contumeliam diſponentis. Libere, vere, atque feliciter Sanctiſsimus hic Pontifex Felix ipſum redarguit Imperatorem, qui rebus Eccleſiaſticis etiam præeſſe volebat, & Prælatis Eccleſiarum nolebat obtemperare, imo & quod plus eſt, vt ex ipſius nouellis conſtitutionibus conſtat Eccleſiarum Prælatis contendebat dominari, eiſdemque iura præfigere. At Sanctiſsimus Papa Felix docet eum non debere, nec poſſe ſacerdotibus præeſſe, ſed eum debere Eccleſiæ ſuæ colla ſubmittere, ne ſi contrafaceret labatur in contumeliam creatoris, Ad hæc ex his Felicis Papæ dictis abſolute con-

concludi-

cluditur. Quod omnes nouellæ conſtitutiones Iuſtiniani, quæ de perſonis, & rebus Eccleſiaſticis diſponunt, vt per totum titulum autenticorum de Sanctiſsimis Deo amabiliſsimis Epiſcopis, & Reuerendiſsimis Clericis, & Monachis habentur, nullius ſunt valoris & ad nihil obligant Eccleſias, perſonaſque Eccleſiaſticas, & ex illis nullum poteſt ſumi argumentum poteſtatis ſecularis ſuper quacunque re tangente Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, quinimo quod nihil aliud per ſe efficiant, niſi quod ſanctiones canonicas de perſonis rebuſque Eccleſiaſticis diſponentes, per ſuas leges aduerſus contradicentes ſuo brachio Imperiali ſolum corroborat, & defendit.

Pelagius PP. I. Anno D. 552. tēpore eiuſdē Iuſtiniani Imper. & quando Totila Rex Gothorū dictus flagellū Dei, omnem eſt depopulatus Italiam, epiſtola ad Beccgeſtum defenſorem mandat, & dicit. *Experientiæ tuæ* præſenti authoritate mandamus, vt in cauſis in quibus qualibet Eccleſiaſtica perſona loco petitoris exiſtit quemquam laicum pulſatura, apud ſuæ prouinciæ iudicem ſuas proponere actiones non defferat, in his vero negocijs in quibus Eccleſiaſtici officij perſona pulſatur, totius ſubmoto pulſationis obſtaculo, ad iudicium Epiſcopi, vel presbyterorum, in loco vbi quæſtio verti tur cōſtitutorū occurrat indifferēter examen. Sanctiſsimus Papa Pelagius cauſas pulſatorū clericorū quaſcunq; non ad iudiciū laicorū, ſed ſolū ad iudiciū Epiſcopi, & Eccleſiaſticū eſſe deferēdas decernit. Et ſignāter tempore Iuſtiniani Imper. facit ad innuendum conformiter ad id, quod ſuperius dictum eſt ex Felice, quod omnes conſtitutiones, quæ nouellæ ſunt appellatæ ab ipſo Iuſtiniano editæ de iudicijs Eccleſiaſticorum diſponentes nullius authoritatem afferunt argumentum, cum non fuerint ab illo qui ſuper perſonas Eccleſiaſticas poteſtatem habuerit inſtitutæ. Ex Concilio Matiſconēſi ſub Pelagio II. Anno D. 579. can. 9. ſic habetur. Conſtituimus etiam, vt Epiſcopus per ſecularem poteſtatem non iudicetur. nefas eſt enim, vt illius manibus, aut iuſſione Epiſcopus de Eccleſia trahatur pro quo ſemper Deum exorat, & cui inuocato nomine Dei ad ſaluationem corporis & animæ Euchariſtiam ſæpe porrexit, & can. 10. ſic etiam habetur. Quod de Epiſcopis cenſuimus vim obtineat. & in clero, vt neque presbyter, nec diaconus, neque ſubdiaconus de Eccleſijs trahantur. Sed quidquid quis aduerſus eos habuerit in notitiam Epiſcopi proprij perducat, & ipſam cauſam cōſtitue præcante, diſcutiens animo clericos, accuſantes ſatisfaciat.

31. — 11. q. 1. c. experientiæ.

Ioannes Papa III. Anno D. 561. tempore Iuſtini Imper. qui in Imperio ſucceſſerat Iuſtiniano, in epiſtola decretali ad vniuerſos Epiſcopos per Germaniæ, & Galliæ prouincias conſtitutos, vo-

32. — 96. diſt. c. ſi Imperator.

 lens

lens fidelibus omnibus ostendere, quod nulla potestas laica quamuis sit imperatoris potest iudicialiter cognoscere quascunque causas personarum *Ecclesiasticarum*, inquit. Si Imperator Catholicus est, (quod salua pace ipsius dicimus) filius est non præsul *Ecclesiæ*, quod ad religionem competit discere ei conuenit non docere: habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consequutus est, & eius beneficijs nō ingratus contra dispositionem cælestis ordinis nil vsurpet: ad sacerdotes enim Deus voluit quæ disponenda *Ecclesijs* sunt pertinere, non ad seculi potestates, quas (si fideles sunt) Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subiectas. non sibi vendicet alienum ius, & ministerium, quod alteri deputatum est, ne contra eum contendat abrumpi à quo omnia constituta sunt, & contra illius beneficia pugnare videatur à quo propriam consecutus est potestatem. non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à Pontificibus, & sacerdotibus Omnipotens Deus Christianæ religionis clericos, & sacerdotes voluit ordinari, & discuti, & recipi de errore remeantes, Imperatores Christiani subdere executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre. Hactenus Io: Papa. Resolute admodum Sanctissimus Pontifex Ioannes alludens ad Iustiniani Imp: nouellas constitutiones, in quibus Imperator ille, ausus est de rebus, & personis Ecclesiasticis multa disponere, quæ non nisi ad summum spectant Pontificem, luce pomeridiana clarius manifestat, quod talia Imperator nullo pacto, nullo[que] nec nullaque ratione disponere, neque cognoscere iudicialiter debet, nec potest: & ad hoc adducit de iure diuino desumptam rationē, scilicet, quia si ipse Imperator prætendit esse catholicus, filius est non pastor Eccles. scilicet cū dominus Petro dixerit. *Tibi dabo claues Regni Cælorum, & pasce oues meas*, sed nequaquam Imperatori, quia ipse Deus voluit Principes (si fideles sunt) esse Ecclesiæ subiectos, quod si contra hanc Dei dispositionem audere voluerit Imperator, tanquam ingratus, & diuinæ iniurius dispositioni concessam sibi diuinitus terrenam potestatem deperdere posset, vt non semel factum legimus, diuino sic disponente iudicio.

33 IN Concilio Matisconensi I. circa tempora Pelagij II. Papæ Anno fere D.579. Ita habetur can. 8. Nullus clericus ad iudicem secularem quemcunque alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendā trahere quomodocūq; præsumat, sed omne negocium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut presbyteri, aut Archi-

fol. 89. diaconi præsentia finiatur, quod si quicunque clericus hoc implere distulerit, vna minus de quadraginta ictus accipiat, si certe honoratior triginta dierum inclusione multetur.

Quod si quis ex hac testificatione obijciat dicens. Quod clericus cleri-

clericum accuſare prohibeatur, non autē laicus clericum. Reſpon-
detur per argumentū à maiori, quod cū ſemper actio debeat ſequi
forū rei, forū autem clericorum non eſt niſi apud iudices Eccleſia-
ſticos cōſequens eſt, quod dum clericus prohibetur accuſare cle
ricum extra forū Eccleſiaſticum, multo magis prohibetur laicus
accuſare poſſe clericum apud aliud forum quam Eccleſiaſticum.

GRegorius I. Anno D. 590 tempore Mauritij Imperatoris
epiſtola 32. li. 9. ad Romanum defenſorē Siciliæ, inquit. Per- 34
uenit ad nos quod ſi quis cōtra quoſlibet clericos cauſam habeat
deſpectis eorum Epiſcopis eoſdem clericos tuo facias iudicio
exhiberi, quod ſi ita eſt, valde conſtat eſſe incongruū. Sed hac tibi 11 q. 1 cap. peruenit ad nos.
authoritate præcipimus, vt denuo hoc facere non præſumas, ſed ſi
quis contra clericum cauſam habuerit, Epiſcopum ipſius adeat,
aut ipſe cognoſcat, aut certe ab ipſo iudices deputētur. Quid nan-
que clarius dici potuit à Sanctiſſimo Gregorio Papa ad docen-
dum, quod iudices ſeculares nullam habent authoritatem cogno-
ſcendi clericorum cauſas?

IN Conc. Moguntino tēpore Leonis Papæ III de ipſius authori-
tate congregato ad petitionem Caroli Magni Imper qui & ei-
dem Cōcilio præſens eſſe voluit decretorum nempe illius Concilij 35
c. 8. Sic habetur, vt Epiſcopi poteſtatē habeant, res Eccleſiaſticas,
prouidere, regere, gubernare, atq; diſpenſare ſecūdum Canonū au-
thoritatē Volumus, & vt laici in eorum miniſterio obediant Epi-
ſcopis ad regendas Eccleſias Dei, viduas, & orphanos defenden-
dos, & vt obedientes ſint eis ad eorum Chriſtianitatem ſeruan-
dam. Et Epiſcopi conſentientes ſint comitibus, & iudicibus ad
iuſtitias faciendas, & vt nullatenus per aliquorum mendacium,
vel falſum teſtimonium, neque periurium, aut per præmium lex Tom. concil. fol. 114.
iuſta in aliquo deprauetur. Ex hoc Concilij Maguntini decreto
clara hæc excipitur reſolutio, quod eo tempore, ſcilicet Leonis Pa-
pæ III & Caroli Magni Imperatoris Anno D. 790 per tyrannicam
vſurpationem introductum reperiebatur laicos iudices de rebus
Eccleſiaſticis diſponere, & gubernationi Eccleſiarum ſe immiſce-
re, atque ob diligentiam ſummi Pontificis Leonis, & Principis
Chriſtianiſſimi tunc Caroli Magni omnia iura Eccleſiaſtica in
ſuum priſtinum ſanctionum canonicarum iuſtitutum ſunt inſtau-
rata ita vt Gubernatores, & iudices laici in omnibus actionibus,
& cauſis ſpectantibus ad Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas, obe-
dirent Prælatis Eccleſiaſticis, atque etiam de conſenſu Epiſcopo-
rum ſeculares iudices iuſtitiam publicam adminiſtrarent, in illis
vtique particularibus articulis falſi teſtimonij, atque periurij,
quatenus ſcilicet hæc ab Eccleſiaſtica dependent poteſtate. Hinc
iuſta ratione, colligunt ſapientes, quod ipſe Carolus Magnus, qui

 aben-

ab eodem Leone Papa III. fuerat primus harum occidentalium partium electus, coronatus, & vnctus Imperator: constitutionem Theodoſij Imper. cap. ſcilicet 11. codicis editam, ad interrogationem Blauij ducis, reſtaurauit, & auxit ſicuti refert Gratianus, cap. volumus 11. q. 1. ex qua actione cõſequitur; quod ſicuti ipſe Carolus Magnus Imperator nouam ex conſtitutione libertatem Eccleſiaſticam non cõſtituit, quaſi, quod antea per ſanctiones canonicas non fuiſſet inſtituta, ſiue ſpecificata, ita quoque omnes, ſicuti fuerunt, Iuſtinianus Theodoſius, & Conſtantinus per conſtitutiones, & leges, quas pro Eccleſiaſtica libertate condiderunt, non ipſam primo conſtituerunt, ſed eandem à temporibus Apoſtolorum conſtitutã ſuis legibus imperialibus confirmarunt, & à contradicentibus defenderunt.

36 ADrianus Papa I. Anno D. 796. tempore Conſtantini VII. Imperatoris, refert Gratianus 11. q. 1. cap. clericus, & cap. In clericorum cauſa, inquit atq; decernit. clericus, ſiue laicus ſi crimine, aut lite pulſatus fuerit non alibi, quam in foro ſuo prouocatus audiatur. Item idem. In clericorum cauſa huiuſmodi forma ſeruetur, vt nequaquam eorum ſententia à non ſuo iudice dicta conſtringat.

37 GRegorius Papa VII. Anno D. 1073. tempore Henrici IV. Imperatoris in epiſtola ad Hermannum Metenſem Epiſcopum: Demitatus Principum ſecularium auſus, exclamans inquit. Quis dubitet ſacerdotes Chriſti Regum Principum omniumque fidelium Patres, & magiſtros cenſeri? non ne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum, ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cęlis ſe ligari poſſe, & ſolui? Hæc Sanctiſſimi huius Gregorij Papæ admirabilis exclamatio, ſcholio non eget ullo, nec aliqua explicatione, ſed applicatione ſola adamuſſim iuſtę conſiderationis, ad ſciendum certe, & ſine dubio aliquo, quod ſeculi Principes nullam rationabiliter autoritatem ſuper perſonas Eccleſiaſticas habere ſibi confingere valeant. Quod ſi quiſpiam ſecus cogitauerit, miſerabiliter inſanire (vt ait Gregorius) ſe ſe perhibebit.

96. diſt. cap. quis dubitet

Et hic ſiſtendum eſt, nec vlterius procedere opus eſt, in ſerie Pontificum, & conciliorum amplius producenda, uſque ad hæc noſtra tempora, cum certo certius, ſatis ſit ad demonſtrandum, quod Eccleſiaſtica libertas à temporibus Apoſtolorum Dei ordinatione fuerit inſtituta, & per ſeriem continuatam huc vſque adſignata, multo ante ipſum Conſtantinum, Theodoſium, Iuſtinianum, & Carolum Magnum Imperatoores, Nam omnibus eſt notum, & peruium, quòd à Leone Papa III. & Imperatore Carolo

Magno

Magnū quod eſt, ab anno redēptionis 7[illegible] vſque ad Sāctiſſimum D. N. Paulum Papam V. & Rodulphum Auſtriacum Imperatorem, hoc eſt ad annū D. 1606. omnes ſanctionum canonicarum codices repleti ſunt ſententijs, reſponſis, atque decretis proponentibus, diſponentibus, & confirmantibus, Eccleſiaſticam libertatem, eādemque indicantibus de ipſius Dei ordinatione eſſe profectam, quemadmodum nouiſſime in ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 20. de refor. illuſtribus illis verbis promulgatur videlicet, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam.

Verum quoniam in his omnibus ſententijs, atque decretis, per ſummatim ordinatam ſeriem recenſitis hactenus, ſola videtur immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum conſtitui, & exprimi, ne quiſpiam debilior ingenio ſuſpicetur, bona Eccleſiarum temporalia non eſſe forſitan eadem libertate donata, eodem ſtilo ab ipſis Apoſtolorum temporibus, pro ipſa bonorum Eccleſiarum exemptione, teſtimonia, ſententias pariter atque decreta ſummorum Pontificum, & Generalium conciliorum, quatenus opus erit, atque ſufficiens, in medium quoque afferre nō omittendum opere pretium exiſtimaui.

ET primo omnium aſſerimus ſanctorum Apoſtolorum canonem, ordine, & numero quadrageſimum primum, quem in primo Cōciliorum Generalium tomo ſic legimus exaratum *Præcipimus, vt in poteſtate ſua, Epiſcopus Eccleſiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per presbyteros, & diaconos cum timore omnique ſollicitudine miniſtrentur.* His vtique verbis clariſſime datur intelligi, quod res, & pecuniæ Eccleſiæ, nullis principum collectis, & grauaminibus debeāt eſſe ſubiectæ dum oporteat ſolum Epiſcopum, ita curam ipſarum habere, vt omnibus indigētibus liberè, & ſine obſtaculo aliquo integre valeat diſpenſare, & dum per locum à maiori proponitur argumentum, ſcilicet ab animarum precioſarum cura Epiſcopis credita, facile colligendum nobis affertur, quod eadem libertate imo cum maiorī exemptione creditæ diuinitus Epiſcopis quoque ſunt res Eccleſiæ ab omni Principum ſecularium dependentia. 58

Quod verò ad hunc effectū canonē iſtum ediderint Apoſtoli, vt res Eccleſiæ eſſent omnino liberæ à quibuslibet non ſolū grauaminibus laicis ſed etiam ab omni obſtaculo quod directe, vel indirectè ex quocunque reſpectu poſſent Principes ſeculares facere, oſtenditur per Melchiadem Papam ſic dicentem, Futuram Eccleſiam Apoſtoli in gentibus præuidebant, idcirco prædia in Iudæa minime ſunt adepti, ſed pretia tantummodo ad fouendos 11 q. 1. c. Futuram:

egentes

egentes. At vero cum inter turbines, & aduerſa mundi ſubereſcẽret Eccleſia ad hoc vſque peruenit, vt non ſolum gentes, ſed etiã Romani Principes, qui totius orbis Monarchiam tenebant ad fidem Chriſti, & baptiſmi Sacramenta concurrerent, ex quibus religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem veritatis patẽter adeptus dedit licentiam per vniuerſum orbem ſub ſuo degentibus imperio non ſolum fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricandi Eccleſias, & prædia conſtituit tribuenda. Ex hac teſtificatione Melchiadisglorioſiſſimi martyris Chriſti hęc colliguntur. Primum quod Apoſtoli in Iudea, quia videbant non creſcere ibi tunc Eccleſiam, omnium prædiorum oblatorum pro communi victu credentium precia ſolummodo accipiebant: ex quo infertur clariſſime, quod ſola iſta neceſsitas cogebat eos ad non retinendum prædia, idcirco ſtatutum Venetæ Reipulicę editum vltimo anno 1605. die 26. men. Martij, inherens alteri decreto anno 1536. ab eodem Senatu facto, in quo expreſſe prohibetur ſub certis pœnis ne immobilia bona ad pias cauſas teſtamento, ſeu donatione relinquerentur, aut alio quouis titulo in fauorem Eccleſiarum, Sed quod bonorum immobiliũ pretia ſolũ poſſent accipere: nititur expreſſe contra naturam ſubcreſcentis Eccleſiæ, & ſtatum Chriſtianitatis coalitæ ad ſtatũ illum velle redigere, quo in Iudea tunc non erat propaganda. Quod eſt contra ipſum factum Apoſtolorum non ſolum contra voluntatem, & intentionem Dei, ad factum illud, & opus Apoſtolos inſpirantis. Alterum quod prohibere ſubditis laicis, ne bona ſtabilia tradant Eccleſijs eſt indirecte ſaltem euertere libertate Eccleſiæ quam habuit ſemper ab ipſo primo tempore Viuentium Apoſtolorum.

Confirmatur hoc totum per illud decretum vere Chriſtianum quod ex libro capitulorum Caroli, & Ludouici Imperatorum erat ſumit, & refert gratianus in hec verba. Quia iuxta Sanctorum Patrum traditionem, nouimus res Eccleſię vota fidelium eſſe pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non ſolum habita conſeruare verum etiã Deo opitulante conferre optamus. Vt autem ab Eccleſiaſticis officijs, de diuidẽdis rebus Eccleſiæ ſuſpicionem dudum conceptã penitus amoueamus, ſtatuimus, vt neque noſtris, neq; filiorum, & Deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus vllam penitus diuiſionem, aut iacturam patiantur.

16.q.1. cap. quia iuſta,

39 EX hoc decreto atque teſtificatione præfatorum Imperatorum vere Chriſtianorũ tria notabilia, & ſcitu neceſſaria eruuntur. Primum. Res Eccleſiæ eſſe vota fidelium pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. eſt veritas catholica per traditionem Patrum habita, & ideo de fide tenenda. Alterum quod

vera

vera pietas Christiana de cõſcientia bona, & fide non ficta ſollicitudinem habet non ſolũ bona Eccleſię habita conſeruare, ſed Deo opitulante ampliora conferre, & adaugere. Tertium quod impedire ne Eccleſijs ampliora bona conferantur, ſecum affert terram, & formalem ſuſpicionem diuidendi bona Eccleſiæ, quod eſt damnum, & magnum ſcandalum animis fidelium inculcatum. Quartum quod ut futuris temporibus, & ſemper talis præſumpta diuiſionis bonorum Eccleſiæ taliſque ſuſpicio ſcandaloſa, è medio penitus tollatur, & uiget Imperiale ſtatutum conforme traditioni Catholicæ Patrum pro conſeruanda immunitate, & libertate rerum, & bonorum Eccleſiæ, quæ patrimonia ſunt pauperum. & qui vere credunt in Chriſtum, credunt quoque vera eſſe quæ dixit Matthæi 25. Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.

VRbanus Papa & martyr glorioſiſſimus Anno D. 223 tempore Marci Aurelij Antonini Imperatoris epiſtola prima ad omnes Epiſcopos inquit. Videntes autem ſummi ſacerdotes, & alij, atque leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates, & agros, quos vẽdebant, Eccleſijs quibus præſidebãt Epiſcopi traderent eo, quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus quam futuris temporibus plura, & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus communem vitam ducentibus quam ex precio ipſorum, cœperunt prædia, & agros quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſijs tradere, & ex ſumptibus eorum viuere. Ipſæ vero res traditione ſingulorum parochiarum Epiſcoporum (qui locum tenẽt Apoſtolorum) erant, & ſunt vſque ad huc, & futuris debent eſſe temporibus, e quibus Epiſcopi, & fideles diſpenſatores eorum omnibus communem vitã degere volentibus, miniſtrare cuncta neceſſaria debent pro ut melius potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipſæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia à fidelibus domino offeruntur. Hactenus Vrbanus Papa. Hæc vt iacent vera eſſe non poterunt, ſi bona Eccleſię domino à fidelibus oblata in hunc finem, vt omnibus indigentibus diſpenſentur, ita vt nemo ſit indigens non ne vera eſſent ab omnibus ſecularibus, & communibus grauaminibus exempta. Imo, et quid amplius de neceſſaria conſequentia ex eiſdem relinquitur colligendum, nimirum quod cum de ſua authoritate confirmat factum, et ſuper addit Vrbanus, dicens erant, et ſunt vſque ad hoc, et futuris debent eſſe temporibus, a quibus Epiſcopi, et fideles diſpenſatores eorum omnibus communem vita degere volentibus miniſtrare cuncta neceſſaria debent. Clariſſime ab illo antiquiſſimo tempore inſinuatum eſſe perhibetur, nephas eſſe ſi aliquando in poſterum, Principes, et magiſtratus, ne amplius prædia, & bona ſtabilia offerrentur Eccleſijs, ſta-

40

12 q 1. cap. videntes.

tom. conc. 1. fol. 60.

Nota, quod à tpe Vrb. 1 A. D. 223 damnãda, generaliter, ſtatutũ Ven. Reip. edita anno 1605 die 26 men. Martij.

ſtatuerẽt

statutis impedirent esset enim manifeste contrarium indirecte saltem Generali sententiæ piæ admodum, & Christianæ illorum antiquissimorum Pontificum sacerdotum, & cæterorum fidelium omniū, qui spiritu sancto inspirati, & cęlitus edocti pro futuris etiam omnibus Ecclesiæ temporibus, seruandum constituerunt, vt non ex precijs, sicut antea, sed ex fructibus redituum necessaria fidelibus in communi viuentibus ministrarentur, nam si in futurum hoc semper fieri debet, vt decreuit Vrbanus, consequens est, quod vt semper possit fieri, semper liberum debet esse, vt prędia, & bona stabilia possent dari Ecclesijs, & sacris Collegijs viuentibus in commu-
12.q.1 cap: videntes.
ni, vt illis seruatis, ex redditibus necessaria ministrentur sed certo certius hoc fieri non posset amplius in futurum si statuto aliquo prohiberetur Ecclesijs dari talia bona. ratio in promptu est, quia dare & recipere sunt inuicem correlatiua sicuti vendere, & emere atque: vt habet Philosophorum, & Legistarum regula, ad remotionem vnius correlatiui, sequitur remotio alterius, tex. in l. fin. ff. de acceptil ergo qui per statutum remouet, seu impedit dare bona stabilia Ecclesijs, remouet, & impedit Ecclesias recipere, & nititur contra libertatem Ecclesiæ saltem præsumptiue, quemadmodum qui prohibet vendere personis Ecclesiasticis prohibet, & his emere pręsumptiue iux. c. eos qui. de immunit. Ecclesiarum, lib. 6. eo, quod vt ibi dicitur, talia in derogationem libertatis Ecclesiasticę pręsumuntur.

41 LVcius Papa I. Anno D. 253. tempore Galli, & Volusiani Imperatorum in epistola prima ad Episcopos Galliæ, & Hispanię excommunicauit bona Ecclesiæ expoliantes, vel Ecclesijs vexationem inferentes, adducens rationem quoniam essent pauperibus dedicata. Cum igitur pauperes iure naturę, & diuino liberi sint abangarijs ciuilibus, eo quod, nō habēt vnde soluant, ideo res pauperibus dedicatę eodem exemptionis iure debent gaudere. Et quia non modica infertur vexatio Ecclesijs pręsertim, quæ redditibus copiosis non pollent, sicuti sunt, & esse solent hospitalia Parochię, & Monasteria tam virorum, quam mulierum; ideo statuta Principum, & magistratuum secularium, quę prohibent indifferenter Ecclesijs quibuslibet posse relinqui, siue donari bona aliqua stabilia, à tempore Lucij Papę insinuata, & notata fuerunt tanquam impia Ecclesiasticę libertati aduersantia, & Christianę pietatē inimica.
tom. conc. 1: fol 90.

42 STephanus Papa I. Anno D. 255 tempore Decij Imper. epistola secunda de accusationibus sacerdotum, inquit. Laicis quoque quamuis religiosi sint nulli tamen de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas. Si nulla laicis, vt hic martyr gloriosissimus, & Pontifex Stephanus dicit concessa
tom. conc. 1: fol. 93

aliquan-

aliquando fuit poteſtas diſponendi de rebus Eccleſiaſticis recte inferetur, quod nullum grauamen rebus Eccleſiaſticis à laicis potuit vnquam imponi, aut actionem conſolidationis directi dominij impediri. Cum directum dominium ſit principale, quod requiritur ad integram, & completam rerum poſſeſſionem.

IN Concilio Toletano III. ſub Pelagio Papa II. Anno D. 580. c. 2. Sic habetur Eccleſiarum ſeruos, vel presbyterorum, vel omnium clericorum à iudicibus, vel exactoribus publicis in diuerſis angarijs fatigari dolemus, propter quod omne concilium à pietate glorioſiſſimi Domini noſtri poſcit, vt tales vſus deinceps inhibeat. Ex hoc decreto ſumitur argumentum concludens neceſſario per locum à minori, nam ſi ſerui clerici non poteſt iuſte publicis fatigari angarijs ergo, & eo minus res Eccleſię quę ipſi Deo ſunt dicatę & Chriſto ipſi in pauperibus ſunt diſpenſandę, iuſte poſſunt angarijs & quibuslibet ciuilibus oneribus grauari. 43

Pius Papa I. Anno D. 142. tempore Marci Antonini veri Imperatoris, epiſtola ſecunda inquit. Prædia diuinis vſibus tradita quidam humanis vſibus applicant, & Deo noſtro cui tradita ſunt ea ſubtrahunt, vt ſibi deſeruiant, quę propter ab omnibus, illius vſurpationis cõtumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus ſecretorum cæleſtium dicata à quibuſdam irruentibus vexentur, quod ſi quis præſumpſerit, Vt ſacrilegus iudicetur hæc Pius. ſed cum nõ differant bona Eccleſiæ humanis vſibus applicare ad ſibi deſeruiendum, atque, ea communibus oneribus prægrauare, hinc declaratur à tempore Pij Papę I. bona Eccleſiaſtica ab omnibus ciuilibus grauaminibus eſſe libera. Et quoniã ad emphyteuſim tẽporaneam tradere bona Eccleſię, non eſt applicare illa penitus humanis vſibus, hoc eſt ſecularibus, ideo permiſſa eſt in ſacris canonibus; ſed quia idem eſt impedire, conſolidationem directi Dominij bonorum Eccleſiæ, ac illa in emphyteuſim dare perpetuam, imo vertente & omnino proprietatem adimere, & iſta ſecularibus vſibus vere ac penitus, applicare. ideo ſtatutum omne, quo impeditur directi Dominij conſolidatio bonorum ab Eccleſia ptios poſſeſſorum, à tempore Pij Papæ I ſcilicet ab anno D. 142. tanquam ſacrilegum in Eccleſia Catholica eſt notatum. 44

12. q. 2. cap. prædia

IN ſynodo Romana vi. transſcribitur à Gratiano. 96. diſt. cap. Bene ſub Simmaco Papa celebrata, Anno D. 498 poſt communem omnium Epiſcoporum ſententiam, quod non liceat laicis de Epiſcopis, & clericis legem dare, ſic habetur. Modis omnibus in ſynodali conuentu prouida Beatitudinis veſtræ ſententia 45

eneruari conueniebat, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneat præsumendi quibuslibet laicis, quamuis religiosis, vel Potentibus in quacumque ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur. His verbis ab eo tempore declaratum est in concilio illo præsente summo Pontifice, tunc Simmaco, non modo personas ipsas, vt superius suo loco nu. 26. recensitum est, sed etiam res, & bona Ecclesiastica esse à iurisdictione Principum secularium exempta, & libera, & ipsius Dei ordinatione solis prælatis Ecclesiasticis curam commissam esse, & demandatam.

46 Verum enimuero, cum ad demonstrandam immunitatem hanc rerum, & bonorum temporalium Ecclesiæ satis sit clarissima illatio à minori, quam Papa Bonifacius Octauus sapientissime facit in cap. Quamquam, de censibus lib. 6. dicens. Quamquam pedagiorum exactiones tam iure canonico, quam ciuili regulariter sint damnatæ, tanto tamen districtius, ne ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis talia exigantur prohiberi oportet, quanto si id fiat, maiori inde transgressione reatus incurritur, & offensa. Vnde euidenter comprobatur immunitas, & libertas rerum Ecclesiasticarũ, ideo non opus est sanctiones, & testificationes Pontificum, & Conciliorum afferendo amplius immorari, cum & innumeræ aliæ possent in prolixiorem seriem afferri, quę habentur 12. q. 2. à Gratiano per totam, & per totos titulos de immunitate Ecclesiarum, & de rebus Ecclesię non alienandis, pluribusque constitutionibus extrauagantibus. satis superque contenti erimus, superiori abundantissima demonstratione de personarum Ecclesiasticarum immunitate, qua de necessaria consequentia secundum iura in moralibus, comprobatur, & ipsarum Ecclesiasticarum rerum immunitas. Nam cum bona temporalia perueniunt ad Ecclesias, Deo consecrata dicantur, & Sanctum Sanctorum domino saluantur, & ad personas Ecclesiasticas diuinis ministerijs dedicatas sustentandas, ipsi Deo offerantur, certe quod & ipsarum personarum conditionem sequuntur ipsę res; quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa sunt, vt habetur ff. de rei vendic. l. quę Religiosis. Item conueniens est secundum naturalem rationem, vt magis dignum trahat ad se minus dignum, cap. quod in dubijs de consc. Ecclesiæ, & ff. de vsuf. l. eum qui ædes. atque manifestum est, per amplissimam sententiarum seriem superius allatam, quod personę Ecclesiasticę immunes, atq. liberæ sunt à iurisdictione Principum, & omnium iudicum secularium, ergo, & ipsa temporalia eorum bona eadem exemptione, & libertate donãtur. Et certo certius in his grauaminibus Principes seculares grauissime

ſunt & impunè Eccleſiaſticam diſciplinam de immunitate, & libertate perſonarũ, vel rerum Eccleſiaſticarũ conturbantes à tēporib. Apoſt. De ordinatione, & ſanctionib. Canonicis conſtitutã.

AD hunc tandem, vt Principes, & magiſtratus ſeculi, qui nullo Dei timore afficiuntur, ſciant, & probe, vt oportet intelligãt, quo à pacto gerere ſe debeant, ne errent & peccent erga res, & bona Eccleſiarum, teſtificationem ſimul, & decretum antiquiſſimum Bonifacij Papæ primi, huc afferam opportune: Inquit enim Bonifacius, Nulli liceat ignorare omne quod domino conſecratur ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quidquid ſemel fuerit conſecratũ, ſanctum ſanctorum domino erit, & ad ius pertinet ſacerdotũ, propter quod inexcuſabilis erit omnis qui, quod domino, & Eccleſiæ cui competunt aufert, vaſtat, inuadit, & eripit, & vſque ad emendationem Eccleſiæque ſatisfactionem, ſacrilegus iudicetur, & ſi emendare noluerit excommunicetur. 47 12. q. 2. c. nulli liceat. 130.

EX concilio quoque Agathenſi ſub Sixto Papa III. celebrato, circa annum D. 436 relato per Grat. 13. q. 2. c. Clerici, habetur. Clerici, vel ſeculares, qui oblationes pauperum, aut donatas, aut teſtamento relictas retinere perſtiterint, aut id quod ipſi donauerint Eccleſijs, vel Monaſterijs crediderint auferendum, ſicut Sancta Synodus conſtituit velut necatores pauperum, quouſq; reddant, ab Eccl. excludantur. Euidens eſt apud morales res, licet quidē nō mathematica ſapiētes, quod paria ſunt impedire ne dentur bona pauperibus, & ab eiſdē bona tollere. Eo quod ipſa natura, ius præſtat pauperibus ſuper res diuitum ad ſibi ſuccurrendum: nam iure naturali omnia ſunt communia omnibus (hoc eſt communicanda) Quod non ſolum inter eos ſeruatum creditur, de quibus legitur, *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna* &c. Verum etiam ex precedenti tempore à Philoſophis traditum inuenitur. Vnde apud Platonem illa ciuitas iuſtiſſime ordinata traditur, in qua quiſque proprios neſcit affectus. Hinc pro comperto Chriſtiani Principes debent habere, quod impedire ne bona dentur Eccleſijs non ſolum aduerſatur libertati Eccleſiaſticæ, ſed ipſi naturali iuri. 48 act. 4.

Ex his hactenus fideliter recenſitis teſtimonijs, ſententijs, atq; decretis tot Summorum Pontificum, martyrumque inclitorum, & Conciliorum generalium, atque prouincialium per continuatam ſeriem ab ipſis Apoſtolorũ temporibus de ſua ipſorum conſequentiæ neceſſaria deductione colliguntur corollariæ concluſiones tredecim, quæ inferius apponentur.

Verũ enimuero, vt recenſita ſeries omni dubitationis careat ſcrupulo, antequam Concluſiones proponamus, operæ pretium, quinimo neceſſarium eſſe duximus, oppoſitas rationes, quas in me-

dium aſſerre poſſent aduerſarij dicentes, quod Epiſtolæ decretales
ſummorum Pontificum à Clemente I. vſque ad Siricium Papam
conſcriptæ non ſint eius autoritatis, vt teſtificationibus, ex eiſ-
dem acceptis fides debeat adhiberi, per veras, atque vrgentes
rationes refellere, quarum prima ſit iſta. Videlicet, quod illi qui
mordicus ſuſtinere contenderēt, quod inquam omnes decretales
Epiſtolę à Clemente I. vſque ad Siricium Papam; talis non ſint
authoritatis, vt ex eiſdem deſumi valeat argumentum, ad con-
probandum immunitatem Eccleſiaſticam eſſe de iure diuino, per
Apoſtolorum, & patrum traditionem, vereri deberent (ſi pij ſunt)
ne apud pios appareant morem imitari priſcorum hæreticorum,
qui conati ſunt dicere librum illum indignum eſſe, qui in cathalo-
go librorum ſacrorum cōnumeretur. Ex quo tam patens locus ali
quis aduerſus ſuam ipſorum aliquam aſſertionem afferretur, vt
tenebricoſis ipſorum interpretationibus minime valeat obfuſca-
ri, ſic enim noſtra tempeſtate priſcos hæreſiarchas imitatum repe
rimus Martinum Lutherum, qui libros 1. & 2. Machab. reſpuit,
& tanquam non ſacros recuſauit dicens non eſſe canonicos, eo
quia doctrina in illis contenta, contra ſuas inuentiones pugnat
apertiſſime. Lutherus enim orationes, & alia ſuffragia, quæ
pro mortuis à viuentibus fiunt non prodeſſe; at in ſecundo Ma-
chabeorum lib. orationes, & ſuffragia, quæ fiūt pro mortuis ap
cap: 12. prime laudantur per illa verba, *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio*
pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Idcirco Lutherus volens
ſuum errorem pertinaciter defendere ad hoc hæreticale conſuetū
aſylum confugit, libros Machabeorum ſuę pertinaciæ repugnan-
tes reijciendo. Epiſtolam pariter Iacobi ob eandem cauſam e ca-
thalogo Canonicorum librorum reiecit, nam cum ipſe mordicus
aſſeruerit ſolam fidem iuſtificare, eamque ſolam ſatis eſſe ad con-
ſequendam æternam vitam, quamuis opera non ſuffragentur. Ia-
cobus autem Chriſti Domini Apoſtolus in ſua inſigni illa canoni-
ca epiſtola doceat fidem ſine operibus mortuam eſſe. Hinc ipſe
cap. 2. Lutherus cognoſcens epiſtolam Iacobi ſuę ſententiæ aduerſari, ip-
ſam negauit dicens: non eſſe ipſius Iacobi Apoſtoli, nec dignā in-
ter ſacram ſcripturam adnumerari, hunc eundem in modum pro-
cedere conuincuntur, ſiqui ſunt, qui epiſt. ſummorum Pontificum
à Clemente vſque ad Siricium Papam dicunt inualidas, aut non
eſſe illorum, qui quamuis non ob id errent in fide, Eo quod non ne
gant librum aliquem ſcripturę ſacræ canonicum, ſed ſolas has
Pontificum epiſtolas nihilominus per ſimile operantur commiſ-
ſum aduerſus immunitatem Eccleſiaſticam, dum videntes, quod
per illorum Pontificum teſtificationes, ſua ipſorum pertinax ſen-
tentia conuincatur, hoc adinuenerunt remediū, aſſerendo epiſtolas
illas

ſtas nō eſſe illorū Pontificum, quibus adſcribuntur. quamobrem ſicuti Catholici Doctores non idcirco abſtinuerunt in ſuis lucubrationibus ab allegandis authoritatibus librorum ſacrorum, quos hæretici exceperunt, ita neque nos decet à teſtificationibus omnium Summorum Pōtificum à Clemente I. vſque ad Siricium Papam, & deinceps temperare quin ex illorum epiſtolis teſtimonia, atque decreta adducamus pro defenſione immunitatis Eccleſiaſticæ, & Sedis Apoſtolicæ contestanda authoritate, & honore in ædificationem piorum fidelium, vt cognoſcant omnes, iſtorum modernorum inobedientium, exoſam proteruiam, & confictas eorum rationes iuſte, atq; ſecure deſpiciant. Quæ etenim ratio æque ſuadere poterit, vt epiſtolæ tot Summorum Pontificum inualidæ reddātur, de quibus teſtificationes eaſdem atque decreta Gratianus decretorum antiquus, & fideliſſimus compilator, Iſidorus, Beda & Yuo Carnotenſis irrefragabiles in tota Dei Eccleſia decretorum ſcriptores deſumpſerunt? Num etiam de ſuis licebit eijcere inſignem Archidiaconum, & doctiſſimum Cardinalem à Turrecremata cum tot gloſſatoribus decretorum antiquiſſimis, qui eadem decreta Pontificum ex eiſdem epiſtolis excerpta, cum tanto ſtudio, & fide ſunt interpretati, & hoc ob leuiſſimas, & deridiculas horum nouatorum oppoſitiones? Qui ſine veritatis alicuius fundamento, de induſtria effictum affectata, epiſtolas Pontificum Summorum à Clemente I. vſque ad Siricium Papam non eſſe alicuius authoritatis, & fide dignas?

Veruntamen non videtur abnegandum, quod ſi aliquando caſu adueniente in congreſſionis paleſtram deſcendere aduocaremur, quin vltro citroque illorum exceptiones admittere debeamus, cum in ſuam ipſorum diſputandi confidentiam, tum in maiorem eorum confuſionem, habita de eiſdem conſtis certa victoria, ſicuti certiſſime haberetur ex ſolis teſtificationibus, & epiſtolis Pōtificum, poſt Siricium Papam editis, quas ipſi abnegare non poſſunt, dum eas ſolas ante Siricium editas abnegare contendunt, quemadmodum euenisse refertur coram Carolo Quinto Imperatore Principibus Alemaniæ præſentibus, de Martino Luthero, quem Doctiſſimus Io: Echius ſuper articulo Purgatorij publice deuicit admiſſa exceptione librorum Machab. ex illa ſola ſententia Euang. Matth. c. 12. *Qui autem dixerit (blaſphemiam, ſcilicet) contra Spiritum ſanctū non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Quam ſententiā ſicuti, & totum Matthæi Euangelium non exceperat Lutherus.

Secunda ratio: admirabile certe eſt, & omnino incredibile id, quod iſti aſſerere contendunt, ſcilicet epiſtolas Summorum illorum Pontificum omnium à Clemente I. qui Siricium Papam præceſſerunt, ita præciſe exceptas eſſe, vt nec vſque ad aliquos Siri-

ei prædecessores, neque vsque ad aliquos alios successores excepto termineiur. hoc enim nulla alia ratione posset subsistere, nisi quod aut Summi Pontifices Siricio antiquiores nullas scripserint epistolas, aut ea quæ pro immunitate Ecclesiastica testificari dicuntur non appareant esse tempori congruentia, eo quod tunc temporis à Clemente I. vsque ad Siricium semper regnauerint infideles tyranni, qui nullibi fideles quiete viuere permittebant, sed sicut incredibile esset primum, ita & omnino falsum, quia non potest inficiari prædecessores ipsius Siricij epistolas scripsisse.

Et vt incipiamus à prædecessore immediato Siricij Damaso Papa; constat certissime, quod ipse Damasus prædecessor Siricij scripserit epistolas ad Hieronymum, & quod Hieronymus rescripserit ad eundem, & sicut absolutissimus indagator harum decretalium epistolarum Marianus Scotus refert Damasum scripsisse ad Hieronymum, & Hieronymum rescripsisse ad eundem, ita quoque refert Stephanum Archiepiscopum, & concilia Africæ epistolas misisse ad Damasum, & Damasum rescripsisse ad eundem Stephanum, & ad Concilia eadē, in qua epistola dicit immunitatem Ecclesiasticarum personarum in Ecclesiis ex Apostolica, & Patrum traditione esse institutam.

Negari item rationabiliter nequaquam potest, quin Episcopi Aegyptiorum epistolam scripserint ad Felicem Papam II & quod idem Felix rescripserit ad eosdem Episcopos congregatos in Alexandrina synodo, quia hoc habetur in Pontificali Damasi Papæ, & refertur à Mariano Scoto; in qua siquidem epistola eiusdem Damasi immediatus prædecessor Felix pro immunitate Clericorum, inquit, cap. 1. Est namque synodicis decretum institutis, vt nemo Episcopum penes seculares arbitros accuset, & cap. 3 si quis Episcopum post hac elegerit accusare Summis primatibus Episcopis hanc indicet causam, & non secularibus.

Superius in serie n. 21.

In Historia tripartita. Socrates lib. 2. cap. 12. habetur, quod orientales Episcopi scripserunt Epistolam ad Iulium Papam I. prædecessorē Felicis causantes eū, quod in cōmunionem recepisset Athanasiū, & cæteros, quibus ipse Iulius rescripsit pro Athanasio, & reliquis, ideo infitiari non potest quin ipse Iulius ediderit decreta illa sua, in quibus cap. 36. pro immunitate Ecclesiastica dicit. clericos à domino super laicos non è diuerso laicos super clericos esse constitutos, & sicut maior non potest à minore iudicari, ita clericos à laicis non posse aliquo pacto obligari.

Vt refertur à fide dignissimis, in vetusto bibliotheca Prædicatorum Colonien. exemplari habentur duæ epistolę vna Synodi Nicena directa ad Syluestrum I prædecessorem Marci, & Iulij. Altera quam idem Syluester rescripsit ad eandem Synodum Nicenam;

in qua

lo qua confirmauit omnia quæ in illa erant determinata, & decreta. Cum igitur inficiari non poſſit Syluestrum, qui Siricium præceſſit annis ferè 74. aliquas decretales edidiſſe epiſtolas, qua num ratione licebit aſſerere nullas ante Siricium editas eſſe epiſtolas decretales? & dato, nec tamen conceſſo, quod Syluester nullas ediderit epiſtolas, nulla tamen ratione poteſt negari, quin Silueſter ipſe ſynodũ illã vniuerſalem congregauerit Romæ præſente Conſtantino Auguſto in qua pro conſeruanda clericorum immunitate à temporibus Apoſtolorum conſtituta, Decretum illud clariſſimum edidit, vt nullus clericorum ante iudicem accinctum cauſam dicere præſumat, ſicut in ſerie recenſitum eſt, num. 17.

Marianus Scotus non aſpernandæ authoritatis ſcriptor, refert in ſua Cronica Melchiadem Papam Syluestri immediatum prædeceſſorem, epiſtolam ſcripſiſſe ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, in qua idem Melchiades teſtificatur de immunitate Eccleſiaſtica ſic dicens. Hoc enim priuilegium huic Sanctæ Sedi à tempore Apoſtolorum ſtatutum eſt, ſeruare, quod illæſum maneat vſque in hodiernũ diẽ, Epiſcopos quos ſibi dominus tanquam oculos elegit, & columnas Eccleſiæ eſſe voluit, quibus etiam ligandi, atque ſoluendi dedit poteſtatẽ ſuo iudicio reſeruauit, & quod Dei ordinatione taliter ordinatum eſſe credimus.

Idem Marianus Scotus meminit epiſtolæ Euſebij Papæ L. prædeceſſoris Melchiadis ad omnes Galliæ Epiſcopos, in qua teſtificatur dicens. Scitote à tempore Apoſtolorum in hac Sancta Vrbe ſeruatum eſſe accuſatores, & accuſationes à clericorum accuſatione ſubmotas ſimiliter laicos non accuſare Epiſcopos, hactenus obſeruatum, & conſtitutum eſt.

Idem quoque Marianus Scotus refert duas epiſtolas Papæ Marcelli prædeceſſoris Melchiadis tam primam ad Epiſcopos Antiochæ Prouinciæ, quam ſecundam ad Maxentium tyrannum, in qua Marcellus expreſſe pro immunitate clericorum allegat Clementem dicens. Clementem in his inſtructum fuiſſe ab Apoſtolis, & quia ſatis eſt teſtimonium Marcelli Papæ, & martyris, teſtificantis epiſtolas Clementis, & eius inſtructionem ab Apoſtolis habitam. non eſt opus amplius procedere cum ipſe Clemens ſit primus in ſerie recenſita collocatus: ſufficiunt enim hæc ad demonſtrandum falſum eſſe inuentum iſtorum, qui negant epiſtolas decretales Summorum Pontificum præcedentium Papam Siricium. Et ſi quis dicat Marcellum non allegare epiſtolam aliquam Clementis, ſed ſola Clementis decreta. Reſpondetur, quod ſatis eſt, pro ſerie Pontificum comprobanda, quod Clemens de hac immunitate prodiderit decreta. Sed nec propterea epiſtolæ illę Clementis abnegari poſſunt, cum Sanctus Hieronymus, lib. 2. contra Iouinianum af-

firmet

firmet Clementem non vnam, aut alteram, ſed plures ſcripſiſſe epiſtolas. Et concesso etiam, atque etiam, quod verum ſit Iacobum fratrem domini ad quem Clementis epiſtolæ dirigi prænotantur, mortuum fuiſſe eo tempore, quo ſcriptæ iudicantur, vti vult Cardinalis Baronius tom. 1. ſuorum annalium circa finem, nihilominus non abnegat dirigi potuiſſe ad Simeonem, qui appellatus eſt frater domini, ob ſanguinis propinquitatem. Quare, directæ fuerint ad Simeonem, aut ad Iacobum nō ita facile negari poſſunt eſſe vere ipſius Clementis. Nam Anacletus Papa epiſtola 3. ſic inquit. Ait ergo Beatus Petrus Princeps Apoſtolorum de Sancto prædeceſſore noſtro Clemente plebibus prædicando, quādo docebat eas qualiter ei obedire deberent, eumque obſeruare, &c. Quia omnia hęc leguntur in epiſtola 1. Clementis, hinc conſtat ex teſtimonio Anacleti, quod ipſe Clemens illam ſcripſerit epiſtolam, & conſequenter cæteras.

QVod ſi huic manifeſtę veritati obſtantes dicant ſe non penitus abnegare aliquas, illos Pōtifices ſcripſiſſe tunc epiſtolas, ſed quod non ſcripſerint epiſtolas decretales aliquas in quibus teſtificentur exemptionem clericorum eſſe de Dei ordinatione, ſeu præcepto, vel per traditionem Apoſtolorum, & ratio huiuſce negatiuæ ea ſit, quia per totum illud tempus pax, & quies Eccleſiæ Chriſtianæ non erat plene conceſſa, vt talis immunitas potuiſſet per formalia decreta ordinari, tirannis Principibus infidelibus non permittentibus.

Huic rationi, vel potius effugio, ſicuti breuiter, ita & libere reſpondemus. Quod ſi hæc cauſa tantum impedimentum potuiſſet vbique eo tempore operari à Petro vſque ad Siricium Papam, iam id ipſum, & eo magis fuiſſet operata tempore Pauli Apoſtoli, & in Ciuitate Corintho, ſed conſtat totum oppoſitum per epiſtolam primam eiuſdem Apoſtoli ſcriptam ad Corinthios, cap. 6. in qua reprehendit fideles, qui habentes negotia illa deferebant ad Iudices infideles, inferens argumento illo validiſſimo per locum à minori, quod multo magis deferre deberent ad ipſos ſacerdotes, ſicut rectiſſime inferunt, & colligunt Patres Concilij Carthaginenſis tertij dicentes, inique de Eccleſiæ conſortio iudicat, qui de vniuerſa Eccleſia male ſentiendo de iudicio ſeculari poſcit auxilium, Cum priuatorum etiam cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibidem terminari præcipiat. Sub Siricio Papa, & multo ante annis fere ducentis octoginta, eandem allegationem fecit Alexander Papa I. eadem fere dicens verba. Neque item liberum fuiſset Apoſtolo in epiſtola 1. ad Thimotheum cap. 5. ſcribere. *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus*. In quibus verbis tanquam pro regula ordinauit Apoſtolus

Sup. in ſerie num. 18.

Superius n. 4.

ſtolus ab eo tempore ex ipſius Dei præcepto, presbyteros non à ſecularib. iudicib. ſed à ſuis Epiſcopis eſſe in criminalibus cauſis cognoſcendos. Hinc etiam nulla ſuadet ratio, quod Summis Pontificibus eo primo Eccleſiæ tempore liberum non fuerit epiſtolas ſcribere decretales, quia vt refert in ſuis annalibus tom. 2. Cardinalis Baronius anno octauo Clementis Papæ I. allegans Plinium, l. 10. epiſtola 97. Chriſtiana religio tunc longe lateq; fuit diffuſa, nec tantũ ciuitates repleuit Chriſti cultoribus, ſed vicos, & agros.

TErtia ratio ſumitur ab authoritate Gelaſij Papæ I. qui in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum, & habetur in cap. Sancta Romana Eccleſia diſt. 15. inter alia Patrum opuſcula, quæ ab omnibus ſuſcipienda tradit, decretales quoq. epiſt. ſummorũ Pontificum ſuſcipiendas decernit dicens. Item decretales Epiſtolæ, quas Beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab Vrbe Romana pro diuerſorum patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt. ſuper quo decreto inter alia ponderandum eſt, quod inter Siricium Papam, & ipſum Gelaſium I. non interfuerunt plus quam ſexaginta anni iuxta computum Mariani Scoti; qui deſcribens annos Siricij refert anno 5. Imperij Gratiani cum Valentiniano fratre ad veritatem Euangelij ſunt 403. ſed Gelaſius refert tut præfuiſſe Eccleſiæ anno 461. quare cõpertum relinquitur Gelaſium diſtare à Siricio ſolos annos ſexaginta. Hoc ſtante, atque ſuppoſito fatuum, & deridiculum eſſet aſſerere, quod Gelaſius decretum illud ediderit de epiſtolis decretalibus ſolis, quas ediderunt Pontifices per ſolum ſpatium annorum ſexaginta à Siricio vſque ad ipſum. *Ergo* Gelaſius alias, atque alias omnes in ſuo decreto complexus eſt epiſtolas decretales, quas omnes Pontifices Romani, à principio Eccleſiæ ſcripſerunt, & cum nulla ratio ſuadeat ante Siricium Papam per ſpatium quadringentorum annorum nullum alium Romanum Pontificem epiſtolas decretales dediſſe. hinc falſitatis manifeſtę conuincuntur iſti; qui omnes decretales epiſtolas ante Papam Siricium negant. quinimo ex ipſa verborum locutione Gelaſij dicentis, decretales epiſtolæ quas Beatiſſimi Papę diuerſis temporibus ab Vrbe Romana pro diuerſorum patrum conſultatione dederunt: eſt de recta ratione colligendum, quod ab eo tempore quo Petrus Apoſtolus Eccleſiam Romanam ſua ſacra morte ſibi, & ſucceſſoribus ſuis aſſeruit propriam; quo caput omnium effecta eſt Eccleſiarum. ſemper pro occurrentibus cauſis factæ ſunt ad Romanum Pontificem conſultationes à diuerſis patribus, & ſemper Romani Põtifices, vt ſuo muneri ſatisfacerent reſcripta, & epiſtolas decretales dederunt, & aliud excogitare vanum commentum eſt, & more hæreticorum diabolicum adinuentum.

CORroboratur hæc Tertia ratio ipſius Papæ Siricij (cuius epiſtolę decretales ab his nouatoribus tanquam primæ recipiũtur) pluribus teſtificationibus, nam ipſe Siricius in epiſtola ſua prima ad Himericum Tarraconenſem narrat, quod ille ſcripſerat ad Damaſum ſuum prędeceſſorem, quo defuncto, ipſe Siricius ſucceſſor reſcribit Himerico ſuper pluribus quęſitis in ſua epiſtola ad Damaſum contentis, ex quo clare demonſtratur quod ad Damaſum Papam ante ipſum Siricium mittebantur epiſtolę pro obtinendis ad conſultationes reſponſis, nec eſt veriſimile, quod Damaſus Sanctiſſimus, non reſcripſerit epiſtolas pro neceſſaria ſatiſfactione neceſſarias.

Item Siricius idem Papa in fine eiuſdem epiſtolæ ad eundem Himericum admonet, nulli ſacerdotum liberum eſſe ignorare ſtatuta ſedis Apoſtolicæ, vel canonum venerabilia definita, ex quo colligitur quod ante Siricium ipſum multi canones, & ſtatuta fuere à ſede Apoſtolica edita, & in partibus promulgata, hoc certe conſiſtere non potuit, niſi ante ipſum Siricium, ſummi Pontifices prędeceſſores per ſuas decretales epiſtolas certiores feciſſent fideles in ſuis prouincijs.

Idem quoque Siricius in epiſtola 4. ad Epiſcopos per Aphricam dicit; litteras tales dare placuit non quæ noua pręcepta aliqua imponerẽt, ſed quibus ea quæ per ignauiam, deſidiamque aliquorum neglecta ſunt obſeruari cupiamus, quæ tamen apoſtolica, & 2. Theſ. 2. Patrum conſtitutione ſunt conſtituta: ſcriptum eſt, *State, & tenete traditiones noſtras ſiue per verbum, ſiue per epiſtolam*, ex quibus fatetur, à temporibus Apoſtolorum per Pontifices prædeceſsores fuiſse decreta condita, & hæc fuiſse in Eccleſia introducta, & promulgata, vi traditionum Apoſtolorum, & Patrum, quod impoſſibile eſt effectum fuiſse ſine epiſtolis Pontificum antiquiſſimorum decretalibus.

QVarta ratio. Cùm, his nouatoribus obijcientibus neceſſarium ſit concedere, quod à Siricio Papa vſque ad noſtra tempora, epiſtolæ decretales Pontificium ſint ſuſcipiendę & verè autenticæ, dum ſolas Siricio anteriores abnegant, neceſſarium erit eis quoque admittere, quod immunitas Eccleſiaſtica ſit in eccleſia pluſquam de humano Pontificio iure, & vere Dei ordinatione, & præcepto, eo quod quamplures Romani Pontifices Siricij ſucceſſores per ſuas epiſtolas decretales id teſtificantur, quam veritatem per ipſa Pontificum, & conciliorum teſtimonia manifeſtare non grauabimur, licet in ſuperiori Pontificum, & conciliorum ordinata ſerie adduxerimus, nam hæc repetitio ad hunc ſpecialem effectum neceſſaria eſt. En quonam pacto Patres Concilij Carthaginenſis tertij ſub eodem Papa Siricio celebrati;

braci ; veritatem iſtam demonſtrant per iſta verba, quæ habentur
c. 9. puta, ad eligendos iudices, iniq. de Eccleſię cõſortio iudi
cat, qui de vniuerſa Eccleſia male ſentiendo, de iudicio ſeculari
poſcit auxilium, cum priuatorũ etiam cauſas Apoſtolus ad Eccle
ſiam deferri, atque ibidem terminari præcipiat. verba hęc ſcilicet
inique de eccleſiæ conſortio iudicat, cum allegatione autoritatis
Apoſtoli, videlicet. 1. ad Corin. 6. non ſolum conſtitutionem
canonicam innuunt humanam, ſed certe ordinationem diuinam,
per Apoſtolum diſpoſitam, & ab illo tempore naſcentis Eccleſiæ
pronunciatam. de ipſa Eccleſiaſtica immunitate, vt inquam,
cauſæ clericorum non deferantur ad iudices ſeculares, nam drunt
ſum ſentire, vt dicant illius Concilij Patres de Eccleſię conſortio,
& inique iudicare, quid nam aliud eſt, quam de diſciplina vniuer
ſalis Eccleſiæ Dei inſtitutione diſpoſita, ſuper immunitate Eccle-
ſiaſtica male ſentire?

INnocentius Papa I. poſt Anaſtaſium Siricij Papę ſucceſſor, in
epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum. cap. 2. inquit. Non vero
viſum eſt mobilitatem neceſſitatum mundanarum, Dei Eccleſiam
commutari, honoreſque aut diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cau-
ſis faciendas duxerit Imperator, &c. dixit hæc Innocentius ſciſci-
tatus ab illo Epiſcopo verum diuiſis imperiali iudicio prouincijs,
vt duę Metropoles fiant ſic duo Metropolitani Epiſcopi deberent
nominari, ex qua reſponſione clare infertur, quod per nullam po-
teſtatem laicam quamuis Imperatoriam, in his ſanctionibus liber-
tatem Eccleſiaſticam concernentibus, ſtatus Eccleſiæ Dei poteſt
immutari. immutatio ſiquidem ſtatus Eccleſiæ non poteſt intelli-
gi niſi de re diuinitus conſtituta, quę ſua virtute Eccleſię ſtatum
reddit firmum, & immutabilem; Vnde aperte colligitur Eccle-
ſiaſticam immunitatem in Dei Eccleſia eſſe non ſola inſtitutione
humana, ſed Dei ordinatione conſtitutam.

Superius in ſerie nu. 21.

LEo Papa I. vt in ſerie quoque recenſitum eſt epiſtola 94. ad
Epiſcopos, & presbyteros intra Thraciam prouinciam con
ſtitutos, dum inquit: diſtringendorũ negotiorum Epiſcopis ſanctis
tum & iuris antiqui formulis, & ciuibus frequentius ſit, & legi-
bus confirmatum, præſenti tamen tempore à pleriſque inuenimus
fuiſſe calcatum, nam prætermiſſo ſacerdotali iudicio paſſim ad
examen ſeculare tranſire. clarum relinquitur, quod nomine for-
mulatum iuris antiqui exprimere voluit ſanctiones Eccleſiaſti-
cę libertatis à temporibus Apoſtolorum promulgatas.

num. 26.

QVod etiam verum ſit & indubitatum, Clementem plura de-
creta edidiſſe in quibus dignitatem ſimul & immunitatem
ſacerdotum de Petri Apoſtoli præceptoris ſui doctrinam
proponit, & explicat. Teſtantur Patres Concilij Varmienſis ſic

recenſentes. Clemens Petri ſucceſſor lib. 2. conſtit. Apoſtol. c. 29. & 30. Vos inquit, o Epiſcopi, quibus cum verſamini laicis, eſtis eis Prophetæ, Principes, duces, Reges *μεσῖται Θεοῦ καὶ τῶν πιστῶν αὐτοῦ*, hoc eſt, mediatores inter Deum, & fideles eius, receptores verbi, & annunciatores, periti ſcripturarum, & vocum Dei, & teſtes voluntatis eius, qui omniũ peccata portatis, & de omnibus rationem reddituri eſtis, ac quibuſdam interiectis: Epiſcopus ipſe eſt verbi miniſter, legis cuſtos *μεσίτης Θεοῦ καὶ ὑμῶν*, ideſt mediator inter Deum, & vos, in eo qui præſtatur Deo cultu. Ipſe eſt doctor pietatis, ipſe eſt ſecundum Deum Pater veſter, qui per aquam, & Spiritum ſanctum regenerauit vos in adoptionem filiorum Dei, ipſe Princeps, & dux veſter, ipſe veſter Rex, & poteſtatem in vos habens, ipſe veſter terreſtris Deus, ſecundum Deum, qui debet apud vos in honore haberi, nam de eo dixit Deus, *Ego dixi Dij eſtis, & filij altiſſimi. & Dijs non detrahes*. Hæc referuntur in Concilio Varmienſi. tom. 1. de Sacerdotio, c. 53.

Superius num. 18. GElaſius Papa I. epiſtola 1. ad Siculos de reb. Eccleſiæ. Vt in recenſita ſerie ſuperius habetur de iudicibus ſecularibus, qui clericos tanquam ſubditos iudicare attentabant dicens, Quod ſi hæc tentare formidant, nec ad ſuæ pertinere cognoſcunt modulum poteſtatis, cui tantum de humanis rebus iudicare permiſſum eſt, quomodo de his per quos diuina miniſtrantur iudicare præſumunt? Certiſsime inſinuat, quod ordinatione diuina ſit conſtitutum laicos iudices non poſſe clericos iudicare cum nõ poſſint modulum ſuæ poteſtatis ſibi de inſtitutione diuina præſcriptum excedere.

QVi item Gelaſius, dum in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem dicit, duo quippe ſunt Imperator Auguſte quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas Sacra Pontificum, & Regalis poteſtas, &c. & poſt aliqua. noſti inter hæc ex illorum te pendere iudicio, nõ illos ad tuam poſſe redigi voluntatem, manifeſtiſſime declarat, quod per ipſam Dei inſtitutionem, hæ poteſtates, ita ſunt diſtinctæ, vt tamen Regalis poteſtas dependeat à poteſtate Pontificia, & ita immunitatem Eccleſiaſticam declarat conſequenter, non eſſe in Dei Eccleſia de ſolo humano iure, ſed diuino.

Superius n. 19. SImmachus Papa in ſynodo ſexta de inuaſionibus rerum Eccleſiaſticarum ſic ordinat dicens. Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra diuina mandata præſumere, nec quicquam, quod Euangelicis, vel Propheticis, aut Apoſtolicis præceptis, & regulis obuiet agere: iniuſtum iudicium, & definitio iniuſta Regio metu, & iuſſu potentis à iudicibus ordinata, vel facta non valeant. His verbis, quia loquitur ſpecialiter con-

tra

tra auſus Regios ſuper immunitates Eccleſiarum, manifeſte indicans, talem immunitatem eſſe ex Dei mandato, per regulas Apoſtolicas diſpoſitã, non de ſolo iure humano.

IOannes Papa III. in epiſtola decretali ad vniuerſos Epiſcopos per Germaniæ, & Galliæ prouincias conſtitutos inquit: Si Imperator Catholicus eſt (quod ſalua pace, &c.) non à legibus publicis nõ à poteſtatib. ſæculi, ſed à Pontificibus, & ſacerdotibus omnipotẽs Deus Chriſtianæ religionis Clericos voluit ordinare, & diſcuti, & recipi de errore remeantes; Imperatores Chriſtianos ſubdere debere executiones ſuas Eccleſiaſticis præſulibus non præferre: quibus dictis Summus hic Pontifex Io. demonſtrat clariſſime, quod de Omnipotentis Dei ipſius ordinatione, voluntate, & præcepto ſacerdotes & omnes clerici ſunt exempti ab Imperatoris, & omnium aliorum Principum iuriſdictione. Sup. n. 32.

GRegorius Papa I. epiſtola 39 ad Romanum defenſorem Siciliæ illum acriter redarguens, eo, quia clericos ſuo iudicio faciebat exhiberi, eorum deſpectis Epiſcopis dicit, Quod ſi ita eſt valde conſtat eſſe incongruum: & in eadem epiſtola de ſimilibus actionibus loquẽs addit ſicut canonica decreuit authoritas. His verbis, per illam nimiam incongruitatem procul dubio inſinuat tranſgreſſionem non ſolius humani Eccleſiaſtici decreti, ſed cæleſtis ordinationis, & addens ſicut canonica decreuit authoritas: canones Apoſtolicos deſignat per Clementem, vt Cardinalis Baronius annalium tom. 2 Clementis anno 102 dicimus, refert. Vbi ſpecialius noſtro fauens propoſito, ſicuti docte, & eleganter, ita quoque recte, & iuſta ratione depoſcente hæc dicit, Sed mirati ſumus Eccleſiæ hoſtem omnem admouiſſe arietem, atque adeo laboraſſe, vt primas illas decretales epiſtolas Romanorum Pontificum fide minuerent, atque irritas prorſus redderent, perinde ac ſi his fundamentis tota Eccleſiæ ædificatio inniteretur, quibus conuulſis eſſet prorſus collapſura. abſit, vt Dei Eccleſia columna, & firmamentum veritatis, tanta veritatis teſtandæ laboret inopia, vt ſi ex illis petitæ probationes deeſſent cauſa caderet, cum tam in his quæ ſpectant ad ſincera dogmata ſtatuenda, quam in his quæ pertinent ad rectam diſciplinam Eccleſiaſticam declarandam, referta habeat locupletiſſima promptuaria probatiſſimæ veritatis, cuius nulla prorſus poſſit vnquam de impoſtura eſſe ſuſpicio. Hactenus Illuſtriſsimus Cardinalis. Hac nos eadem de cauſa, noſtram hanc quartam appoſuimus rationem, vt omnes pij Principes, & vere religioſi cognoſcant, quod etiam dato (gratia diſputationis) quod epiſtolæ omnes decretales Summorum Pontificum Siricij Papæ prædeceſſorum, exciperentur, hoc non obſtante, ſufficientiſſime demonſtrauit per teſtificationes Pontificum ſucceſſorum, quod immunitas perſona- Sup. n. 34.

rum

rum Eccleſiaſticarum fit in Eccleſia ex traditione Apoſtolorum, & Patrum, Dei ordinatione, & non ſolis canonicis humanis ſanctionibus conſtituta. Eo quia omnes Summi Pontifices, poſt Siricium Papam, qui in ſuis decretalibus de hac immunitate Eccleſiaſtica teſtificantur, ad illam, vt plurimum (ſicut ratio inſtructionis facienda poſtulabat) diſpoſitionem, quæ in principio naſcentis Eccleſiæ per doctrinā Apoſtolorū Dei ordinatione habetur ſe ſe referant.

ET quoniam pro hac veritate teſtificanda, ſimul, & comprobanda ſufficiunt præadducti Pontifices, ne prolixior iuſto ſine neceſſitate, quartu hæc noſtra euadat ratio: alios omnes, qui vſque adhuc, tempore ſuo ſecundum conſultationum contingentiam id ipſum ſunt teſtificati, de induſtria prętermittere volumus, contenti aliquorum aliorum ſimplici citatione, quorum teſtificationes quiſquis per extenſum, ſi perlegere affectauerit, id perficere poſſit facile.

dist. 96 c. denique. EN Nicolaus Papa I. in epiſtola ad Michaelem Imperatorem dum ſe penitus ignorare fatetur, quo iure Principes, qui tantum rebus præſunt humanis, miniſtros diuinorum iudicare præſumunt, certiſſime inſinuat immunitatem hanc eſſe de ſuperiori iure quam humano, & hoc vere diuino.

dist. ead. c. quis dubitet GRegorius Papa VII. ad Hermannum Metenſem aſſerens, eſſe miſerabilis infamiæſſ, ſecularis Princeps qui diſcipulus eſt ſuę poteſtati conetur ſubiugare ſacerdotē, qui ſuus magiſter eſt. ad Dei ordinationem, & diuinam inſtitutionem, clare refert talem immunitatem.

c. clerici, de iudicijs. LVcius Papa III. dum dicit, quod leges non dedignantur ſacros Canones imitari, in quibus generaliter traditur, vt de omni crimine clericus debeat coram Eccleſiaſtico iudice conueniri, ad alios canones, non refert ſermonem, niſi ad canones antiquiſſimos à temporibus Apoſtolorum.

c. eſt laici. de reb. eccleſ. non alien. INnocentius Papa III. in Concilio Generali dicens, nullam poteſtatem attributam eſſe laicis quibuſcunque pijs Principibus, & religioſis de rebus Eccleſiæ, aſſertum clare refert ad ordinationem diuinam.

c. eccl. S. Mariæ, de conſt. Idem Innocentius idipſum docens, quod nulla laicis iure aliquo ſit attributa poteſtas ſuper Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis, quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi, aſſerit immunitatem Eccleſiaſticam eſſe certiſſ. de inſtitutione diuina.

c. quanquā, de cenſ. BOnifacius Papa VIII. dicens, quod Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolum iure humano ſunt immunes ab exactionibus, ſed etiam diuino, non potuit expreſſius, & clarius hanc veritatem propalare.

IN Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. dum iſthæc fertur ſententia. Nimis de iure diuino laici vſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos ad præſtandum ſibi iuramenta fidelitatis compellunt, expreſſe manifeſtatur immunitatem hanc eſſe de iure diuino. *In decretis ibi editis c. 44.*

IN Concilio Tridentino Patres dicentes, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione conſtitutam, idipſum docent, atque declarant. *ſeſſ. 25. c. 20. de refor.*

ECce quomodo vi huius quartę rationis noſtrę, remanet comprobatum manifeſtiſſime: quod etiamtum dato (ſolius diſputationis, & concertationis gratia) quod epiſtolæ decretales aliquæ Summorum Pontificum, quæ leguntur, & in noſtra ſerie adducuntur, non ſint alicuius authoritatis, ſed ſolæ ſuſcipiendæ quæ à Siricio, & deinceps fuerint reſcriptæ: cum hoc toto, immunitas Eccleſiaſtica, de qua tractamus, non ab ipſis Pontificibus reſcribentibus ſolummodo oſtenditur conſtituta, ſed à principio exorientis Eccleſiæ, & ad traditionem Apoſtolorum de ipſius Dei ordinatione, & præcepto relata. Verum enimuero, quoniam viribus noſtrarum aliarū rationum, tertiæ ſcilicet, ſecundæ, ac primæ, demonſtratum relinquitur, quod omnes ſiquidem epiſtolæ decretales Summorum Pontificum à Clemente I. vſque ad noſtra tempora, ex quibus, teſtificationum ſeries à nobis contexta eſt, veniūt in Eccleſia Catholica eadem fide, & authoritate recipiendæ, quemadmodum ſemper à Romana Eccleſia, & Sede Apoſtolica hactenus ſunt receptę, in decretis, & decretalibus libris repoſitæ; atque in caſibus occurrentibus paſſim à doctoribus, tam Theologis, quā Canoniſtis allegatæ; idcirco libentiſſime, ac tutiſſime promiſſis concluſionibus proponendis, & explicandis, vti rei pondus, & ratio expoſtulat, manus obſtetrices, vt vitales ſint partus admouebimus.

CONCLVSIO PRIMA.

EX hac ſerie fideliter à nobis recenſita tot Sanctiſſimorum Pontificum vſque ad Syluestrum, atque à Syluestro vſque ad Damaſum, Leonem, & Gregorium VII. de neceſſaria, & euidenti colligitur conſequentia, quod ſucceſſores inde Summi Pontifices, vti ſunt Innocentius III. Honorius III. Gregorius X. & alij qui vſque ad noſtra tempora, ſub excommunicationis pœna, aliiſque cenſuris prohibuerunt, & irritarunt quæcunque ſtatuta à Principibus, & magiſtratibus edita contra libertatem Eccleſiaſticam, hi quidem non à ſe ipſis primo libertatem hanc clericorum iuſtificauerunt, ſed Dei prius ordinatione, Apoſtolorum traditione, & ſanctionibus Canonicis ſucceſſiue promulgatis à temporibus Apoſtolorū conſtitutam *c. eccl. S. Mariæ, de conſt. c. nouerit de ſen. exc. c. hoc conſultum, de reb. eccl. non alien. lib. 6. c. cū laici eo dē tit. extra. c. ſi diligenti de for. com.*

tam iam; ſuper additis pœnis congruis Eccleſiaſticis conſtitutæ ſunt; proinde nullam veritatis ſpeciem ſibi vendicant, qui dicunt, quod diſpoſitiones Canonicæ à Pontificibus de hac re editæ, poſt nouellas Iuſtinianas, & conſtitutiones Theodoſianas, non potuerunt obligare Principes ad ſeruandam hanc immunitatem, ac in omnibus orbis Chriſtiani partibus non fuiſſe ſuſceptas. Dictum oppidò hoc iſtorum ſic blacteratium, falſum eſt, & ementitum contra agnitam ſenſibiliter diſciplinę Eccleſiaſticæ veritatem, quæ tam manifeſte à temporibus Apoſtolorum continuata ſerie per Summos Pontifices martyres, & confeſſores vſque ad hæc noſtra tempora ſemper extitit pronunciata, diſpoſita, & promulgata; Quod ſi interim aliquo tempore interpollatis euentibus, non reperiatur conſeruata in aliquibus Regnis, Prouincijs, ſeu ciuitatibus Chriſtianis, hoc certio certius eueniſſe compertum eſt, aut à negligentia, ſeu illaudata conniuentia Prælatorum, vt ſuo tempore inquit Damaſus Papa, aut clericorum proteruia, qui ſuis contemptis Epiſcopis à iudicibus laicis potius voluere cognoſci, vt Leo I Papa ętate ſua conqueritur, aut Principum auſu temerario vſurpata, vt Patres in Concilio Carthaginenſi I. ſub Syluestro referunt ac ſuo decreto tunc edito, Imperatoriæ conſtitutioni publicè obſiſtunt.

Falſitas manifeſta Pauli Seruitæ, fol. 32

Sup. nu. 26,

num 26.
num. 18.

CONCLVSIO SECVNDA.

CVm ſanctiones Canonicę, (ſicuti in hac pręcedenti Concluſione eſt explicatum) ipſam libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam per ſe primo non conſtituant, ſed Dei ordinatione, & pręcepto prius indictam, & conſtitutam pręſuppoṅant, de neceſſaria conſequentia irrefragabiliter venit concludendum, quod etiam ſi à Sede Apoſtolica, vel Concilijs Generalibus immunitas iſta nondum fuiſſet per ſanctiones Canonicas ſpecialiter diſpoſita, eo vtique modo, quo adhuc diſpoſita reperitur, ipſam inquam libertatem Eccleſiaſticam Dei ordinatione iam conſtitutam, & per Apoſtolorum, & patrum traditionem ſuo item modo, ex tunc promulgatam, omnes Chriſtifideles tam clerici, quam laici, illam tenere, ſeruare, & cuſtodire obnoxij forent ex diuino pręcepto, quemadmodum, & ipſi Apoſtoli ſuo tempore ſeruare, & cuſtodire tenebantur, tanquam Dei ipſius ordinatione, & præcepto indictam, antequam per ipſam Eccleſiam ſpecialiter fuiſſet diſpoſita, & ſpecificata. Comprobatur hoc totum, per locum ab authoritate duorum Conciliorum Generalium, Lateranenſis, ſcilicet, ſub Innocentio Tertio, & Tridentini, quorum vnum expreſſe dicit libertatem Eccleſiaſticam eſſe de iure diuino, alterum

Dei

Dei ordinatione. Nam Patres Concilij Lateranenſis in decretorum tunc editorum cap. 42. hanc efferunt ſententiam dicentes. Nimis de iure diuino laici vſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale tenentes, ab eis ad præſtandum ſibi iuramenta fidelitatis compellant quia vero ſecundum Apoſtolum, *Seruus ſuo domino ſtat, aut cadit.* Sacri authoritate Concilij prohibemus, ne tales clerici perſonis ſecularibus præſtare cogantur huiuſcemodi iuramenta, hæc ibi. Rom. 14. Quibus in verbis ne quis ſuſpicetur, quod verba illa (de iure diuino) dicta ſint non accipiendo ius diuinum proprie, ſed improprie pro iure Eccleſiaſtico, eo modo quo aliquando ius Canonicum appellari ſolet ius diuinum, vt in c. celebritatem de conſec. diſt. 3. in quo Victor Papa diſcernens inter ſtatuta Sacrorum Canonum, & leges ſeculi, inquit. Quia alia eſt ratio cauſarum ſecularium, alia diuinarum. De induſtria Patres in aſſignatione cauſæ, ſeu decreti. Verba iuris diuini per Apoſtolum pronunciata ſubiecerunt, dicentes, quia vero ſecundum Apoſtolum, *Seruus ſuo domino ſtat, aut cadit*, per quę Apoſtoli verba ius diuinum proprie ſumptum, naturale aſſignatur, quo Eccleſiaſticę perſonæ quæ in Dei ſeruitutem prę omnibus alijs fidelibus vocatæ ſunt, non poſſunt laicis Principibus eſſe ſubiecti, vt iuramenta fidelitatis eis pręſtare teneantur. Quia fidelitatis iuramentum effectus eſt debitę ſubiectionis ſub ordinaria poteſtate cui pręſtatur. Argumento clem. Romani Principes. de iureiurando depulſa igitur ſic huiuſce dubitationis ſuſpicione mentium quod hoc in loco Concilij Lateranen. verba illa (Nimis de iure diuino) dicta ſint, & accipi debeant de ipſo iure diuino proprie ſumpto; Tunc ſic argumentamur. Ius diuinum quodcunque illud ſit expreſſum, aut interpretatum, dummodo ſit per traditionem promulgatum, ſemper eſt tempore anterius quam aliqua iuris humani diſpoſitio ad illud ſpecificandum accedat. Ergo ab eo tempore quando in Eccleſia promulgatum eſt & declaratum, aliquod eſſe de iure diuino, illud tanquam ius diuinum ſeruandum eſt, ſicut, & vere ius diuinum eſt. Et quia diſpoſitiones Eccleſiaſticæ ſecundum temporis exigentiam factæ, per ſanctiones Canonicas, pro explicando, ſeu ſpecificando eodem iure diuino, poſteriores tempore editæ reperiuntur, conſequens eſt de neceſſaria illatione concludere irrefragabiliter, quod ſi Eccleſia per ſuas Canonicas diſpoſitiones non dum ſpecificaſſet immunitatem hanc, ſic, & ſic debere ſeruari, iam ab ipſo iure diuino ſufficienter in Eccleſia per traditionem promulgato erat obſeruatu neceſſaria. Eo vtique modo quo ante hanc factam ſpecificationem Apoſtoli ex ipſius Dei ordinatione præceptam ſeruare tenebãtur, atque certo certius ſeruarunt, & ſeruandam in poſterum tradiderunt.

Id ipſum Patres Sacri Concilij Tridentini inſinuãt, dicentes. Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam. Nam vi copulę (&) quæ ſicuti ſuapte natura cadit inter diuerſa, ita quando diſtincta coniungit inter quæ eſt ordo non abſtractus à ratione debita naturali, tunc (vti docent communiter Legiſtę) natura copulæ non ſolum eſt coniungere, ſed etiã inducere ordinem, ut ſic copulata in diſpoſitione non faciant ſibi partes per concurſum, ſed primo vocatur, Clariſſime inquam Patres Concilij exponunt, quod immunitatas hæc Eccleſiaſtica prius extitit Dei ordinatione diſtincte conſtituta, ac deinde pro temporis, & perſonarum exigentia ſanctionibus Canonicis conſtituta eſt, & in illo priori ſuam completam obligationem ad obſeruandum omnino continebat. Totum hoc vnico exemplo comprobabimus. En ieiunij quadrageſimalis, legem ex traditione eſſe Apoſtolorum docent, Auguſtinus ad Caſulanum epiſtola 86. & ad Ianuarium epiſtola 119. Hieron. ad Letam de inſtitutione filiæ, & in Iſaiam. cap. 58. Ambroſ. ſer. 25. & 38. Chriſoſt. ad populum Antioch. hom. 17. Baſilius lib. de ieiun. & contra ebrioſos, & pleriquealij Patres, ſed Theleſphorus Papa, & martyr, qui præfuit Eccleſiæ ab anno D. 127. in epiſtola ad vniuerſos fideles primus legitur, qui legem ieiunij quadrageſimalis hebdomadarum tempore diſtinctam, clericis à laicis ſtatuit, dicens, Credimus Sanctam fidem veſtram in Apoſtolorum eruditione fundatam hanc tenere, & hanc vniuerſis populis exponere, quæ videlicet à conſtitutis Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum nulla ratione diſſentit, per quos iuſtum eſt cæteros erudiri. Quapropter cognoſcite à nobis, & à cunctis Epiſcopis in hac Sancta, & Apoſtolica Sede congregatis ſtatutum eſſe, vt ſeptem hebdomadas plenas ante Sanctum Paſcha, omnes clerici in ſortẽ domini vocati à carne ieiunent, quia ſicut diſcreta eſſe debet vita clericorum à laicorum conuerſatione, ita & in ieiunio debet fieri diſcretio. Atqui ante Theleſphori tempora ieiunium quadrageſimale more ab Apoſtolis acceptum eſt in Eccleſia, tam à clericis, quam à laicis ſeruatum, vt ipſemet ibidem Theleſphorus teſtatur. Ante igitur quam per ipſum lex quadrageſimalis ieiunij ſic ſpecificaretur, & diſtingueretur, ab eiſdem temporibus Apoſtolorum lex iſta obligans iam ſeruabatur. Ita & de hac immunitate Eccleſiaſtica concludendum eſt, quod antequam à Sede Apoſtolica per ſpeciales ſanctiones ſuo procedente tempore conſtitueretur, ſtatim ac ab ipſis Apoſtolis fuit promulgata, erat obſeruatu neceſſaria ob ipſam Dei ordinationem Apoſtolis factam, ab eiſdem cognitam, & promulgatam, & obſeruatam, quantum loci, & temporis circunſtantia permittebat ſine ſcandalo Principum infidelium.

CON-

LIbertas, & immunitas hæc Eccleſiaſtica, in Eccleſia Catholica Dei ordinatione conſtituta, habetur etiã per traditionẽ Apoſtolorum, & Patrum, & ſecus dicere, atque pertinaciter aſſerere, error eſt, eo quod tot Sanctiſſimi Pontifices, & Martyres, ita per ſuas ſententias, & decreta docent, & conteſtantur. Vt patet in ipſa recenſita ſerie, quorum teſtificationibus ſuo glorioſiſſimo martyrio ratificatis ab ipſo Deo, fides indubitata ab omnibus catholicis eſt de neceſſitate ſalutis adhibenda. Traditio autem Sanctorum Apoſtolorum, tàm in ſpeculabilibus credendis, quã ẽt in moralibus ſalutaribus peragendis, æquiualet ipſi S. Scripturæ, vt Patres in Concilio Tridentino confitentur dicentes, Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcipit, & veneratur. Docet hoc Doctor gentium Paulus Apoſtolus non ſemel, atque iterum, nam ſcribens ad Theſſal. inquit *State, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*, quibus verbis palam indicat præter ea, quæ ſcripſerat ſe non minus præclara, imo & præclariora ſolo ſermone docuiſſe, cum ſermonem prius quam epiſtolam nominet. Et ſcribens ad Corinth. dicit, *Cætera* (nimirum de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento) *cum venero diſponam*, ex quo loco ſcribens ad Ianuarium Auguſtinus, colligit à Paulo totũ illum ordinem agendi, quem vniuerſa per Orbem Eccleſia tenet inſtitutum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur. Item Apoſtolus ſcribens Timotheo, *quæ audiſti*, inquit, *à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Quamobrem vt docent Patres in Concilio Vormacienſi de Eccleſiæ nota, quod ſit Apoſtolica. Quiſquis Apoſtolicam Eccleſiam credere ſe profitetur, eum non modo quæ ſcripta, verum etiã quæ viua voce tradita ſunt per Apoſtolos tenere oportet. Sic Euſeb. li. 5 hiſt. c. 16. ſic Hylar. in lib. ad Conſtantium Auguſt. ſic Athanaſius in lib. de decretis ſynodi. ſic Ambroſius lib. de fide, contra Arrianos. ſic Gregorius Nazianzenus hæreſi 23. Ita Cirillus lib. 1. de Trinit. ita Chriſoſtomus homil. 3. in epiſtola ad Philipp. ita Dionyſius cap. 7. Eccleſ. Hier. Hieronymus ad Pammachium aduerſus hæreſes. Auguſtinus ſermone 115. & 180. de tempore. Leo epiſtola 24. & omnes orthodoxi, catholiciq; Patres, & Doctores. Cum igitur hæc Eccleſiaſtica, perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas ſit euidenter, & certiſs. per traditionem Apoſtolicam introducta, neceſſarium eſt confiteri, aſſerere, &

Marginal notes: ſeſſ. 4. in initio. — 2. Theſſ. 2. — 1. cor. 11. — ep. 118. c. 6. — eod. cap. — 2. Tim. 2. — cap. 27

eam ſeruare tanquam verè præceptam de ipſo diuino iure, ſicuti, & alia multa, quæ per traditionem Apoſtolicam habita, ipſa omnis catholica ſeruat Eccleſia. Et vt omnis dubitationis ſcrupulus ſuper re hac tanti momenti depellatur, adnotandum, quod iuxta ea quæ doctè diſſerit Melchior Canus de locis Theologicis, lib. 2. c. Quædam traditiones Apoſtolorum reperiuntur temporariæ, quædam perpetuę. temporariæ ſunt illæ quas ipſi ordinauerunt tanquam Eccleſiæ Paſtores, cuiuſmodi ſunt, trina immerſio in baptiſmate, vt habetur can. Apoſtolorum 49. Vt etiam peracta conſecratione omnes communicent, ac pœnitentiæ taxatæ pro peccatis iniungendæ, & aliquæ conſimiles aliæ. Perpetuæ autem traditiones ſunt omnes illę quas Apoſtoli à Domino reuelante, ac ſpecialiter ordinante audierunt, ſicuti ſunt omnia quæ ſpectant ad eſſentialia Sacramentorum, vſus Sanctarum imaginum, adoratio crucis, benedictio nuptiarum, & aliæ quamplures, quas per totum Orbem ſeruat Eccleſia. Illæ quæ ſunt temporariæ, licite potuerunt auctoritate Sedis Apoſtolicæ immutari, & vſus contrarius populi potuit eas abolere. Illæ autem, quæ ſunt perpetuæ nequaquam: & ratio differentiæ ea ſola eſt, quod iſtas quæ perpetuæ ſunt, Apoſtoli non à ſe ipſis inſtituerunt, tanquam Eccleſiæ Prælati, ſed ab ipſo Domino ſic ordinante acceperunt, huiuſmodi eſt hęc traditio immunitatis, & libertatis perſonarum Eccleſiaſticarum à poteſtate, & iuriſdictione Principum ſecularium. quam non ipſi Apoſtoli per ſe ipſos, vt Pręlati Eccleſię inſtituerunt, ſed ipſo Domino pręcipiente, & ordinante tradiderunt: vti manifeſtant, & conteſtantur tot Sanctiſſimi Pontifices, & martyres Domini. Pręſertim inter cęteros omnes, Clemens, Anacletus, Alexander, Theleſphorus, Pontianus, Fabianus, Pius, Sixtus, Melchiades, Damaſus, qui traditionem Apoſtolorum vocat & Patrum, expreſſius. Simmachus, Felix tertius, Ioannes tertius, Gregorius primus, qui omnes aperte dicunt, ac docent immunitatem hanc Eccleſiaſticam, in Eccleſia, non ſolum à temporibus Apoſtolorum haberi, ſed tam Domini voluntate, pręcepto, ordinatione inſtitutam fuiſſe, ſuper adducentes paſſim Sacrę Scripturæ ſpecialia loca, ad illam comprobandam, & ex eis deducendam. ideo traditio hęc Eccleſiaſticę libertatis, de illis eſſe conſtat traditionibus Apoſtolicis, quę perpetuę ſunt, in quibus tanquam in diuinis inſtitutis Eccleſia nihil habet poteſtatis ad illas immutandum, neq; poſſunt per aliquam conſuetudinem, & vſum populi remoueri, vti docet clariſſime Vrbanus Papa primus, c. ſunt quidam 25. q. 1. dicens. Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſſe nouas condere le-

re legem &c. deſiſſe inquit. Vbi vero apertè Dominus, vel eius Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres diffinierunt, non nouam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod prędictum eſt, vſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerant Apoſtoli, & Prophetę, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur; ſed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini Eccleſiam cōtra luporum inſidias optime cuſtodierunt: Zozimus quoq; Papa cap. contra ſtatuta. immediate ibidem recenſitus à Gratiano inquit apertiſſime. Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis poteſt authoritas. apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reuerentiam; quod etiam neque per aliquam conſuetudinē, & vſum populi valeat remoueri, docet Hieronymus ad Lucinium, dicens, Illud breuiter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliquorum conſuetudine aliorum contrario more ſubuerti. docet quoque Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra donatiſtas, cap. 6. inquiens, veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati, plane quis dubitet veritati manifeſtæ conſuetudinem cedere?

CONCLVSIO QVARTA.

QVod cum hæc Apoſtolorum traditio de hac Eccleſiaſtica immunitate ſit de illis traditionibus perpetuis, quæ nec per Summum Pontificem (vt oſtenſum eſt) poſſunt immutari, neque per conſuetudinem, & vſum populi poſſunt aboleri, Principes quicunque ſint, Magiſtratus, Reges, Imperatores qui reperirentur in contrarium facere, vel ordinare, nulla poſſunt proteſtatione, prætextuque conſuetudinis, vel vſus antiquiſſimi a damnabili tranſgreſſione præcepti, & ordinationis diuinæ per Apoſtolicam hanc traditionem, & Patrum ſanctiones diſpoſitæ excuſari, cum ſit per ordinatam ſeriem Summorum Pontificum promulgata neque alia patet via ad excuſandum quemlibet huiuſmodi Principum, & Magiſtratuum, niſi via ſola conceſſionis, & priuilegij a Sede Apoſtolica emanati hoc nihilominus eo caſu ſolummodo, quo aliter Regnum, Prouincia, ſiue Ciuitas in pacifica, & ſalutari gubernatione non poſſet contineri. Hac præpotenti ratione coacti, illi etiam Theologi, qui mordicus tenent, libertatem Eccleſiaſticam ortam eſſe de ſolo iure humano non diuino, fatentur tandem, & clariſſime dicunt, quod quando Prælatorum Eccleſiæ negligentia ſuggerit, qui laico remiſſius clericorum crimina vlciſcuntur, licet tunc cle-

rici

rici aliquam vim Reipublicæ ciuili videantur objicere, Rex est, qui debet suæ Reipublicæ consulere admonēdo Summum Pontificem, vt remedium adhibeat: verbi gratia. Si clerici primæ tonsuræ impune sanguinem passim fundunt, & cedes faciunt, deberet ad Sanctam Sedem recurri, & quando Papa nollet prouidere, posset

Notent sententiā consiliarij Principum.

Rex sese protegere, sed tamen prętoribus, quamdiu leges durant nefas est, eas non seruare, prȩsertim quod quamuis Rex potestatem habeat vim repellēdi, nō tamen semper liquido constat, an in facti contigentia, vis vere illa sit, quæ vis iudicatur, & in re dubia Ecclesia est iudex. Hæc vt iacent in sua simplici littera, atque stilo verba sunt Fr. Dominici Soto 4. sent. d. 25. q. 2. art. 2. in fin. qui inter alios tenet libertatem Ecclesiast. nō esse de iure diuino vllo pacto, & cū tota ista sua, à vero quidē discedente sententia, cū cogente supradicta nostra ratione, quod nimirum nulla valet consuetudo, nullusque vsus excusare Principes à transgressione præcepti de contuenda clericorum immunitate, compulsus est nostram eandem fateri Conclusionem, videlicet, quod ad excusandum Principes à trangressione damnabili, ac mortifera, sola impetrata à Sede Apostolica licentia eos excusare valeret, nisi solummodo, quod Summo Pontifice requisito, & remedium non adhibente vim vi repellendo Rempublicam suam a delictis clericorum defendere possunt.

CONCLVSIO QVINTA.

Quoniam duo sunt principia demonstrandi aliquid esse de iure diuino, quando eiusmodi rei incidit quæstio. Vnum est, Omnis scriptura diuinitus inspirata: alterum est Apostolica traditio Dei ordinatione pronunciata. è quorum amborum vno, Omne quod vere, & sufficienter ostenditur, de iure diuino esse tenendum est hinc recta suadente ratione censendum, quod omnes illi doctores tam Theologi, quam Canonistę Catholici inquam atque doctissimi, qui quæstionem ad suas partes disputauere. An libertas Ecclesiasticarum personarum non solum in causis spiritualibus, sed etiam politicis, criminalibus, & ciuilibus sit de iure diuino, quique tandem declinant ad concludendum de iure diuino minime esse quo ad causas politicas, sed de solo iure humano, Canonico atque imperiali. Ad vnum certe solum principium nempe sacram scripturam animum appulerunt, eo, quod Autores sententiæ diuersæ, quæ communior exstitit semper, dum etiam quo ad causas prophanas docent esse de iure diuino, suam Conclusionem e principio sacrarum scripturarum demonstrare conantur. At hi

con-

conſpicientes, quod ex nullo ſacræ ſcripturæ loco, tam veteris, quam noui teſtamenti, oſtendi videtur expreſſe, ad aſſerendum non eſſe de iure diuino ſed ſolo humano conuenerunt. In quorum albo. Ex Theologis ſunt inſignis doctor temporis noſtri Frater Franciſcus à Victoria, Dominicus Soto primarius eius diſcipulus, Ioannes à Medina, Didacus Couarruuias. Qui ſiquidem doctiſſimi, & probatæ authoritatis viri, dum ſuam abnegantem aſſerunt Concluſionem ex ſola conſideratione vnius ſolius principij ſacrarum ſcripturarum, ſicuti nullo adhuc æquitatis iure veniunt arguendi, eo quia attento hoc ſolo principio ſacrarum ſcripturarum demonſtrari non poſſe videtur, libertatem hanc Eccleſiaſticam eſſe de iure diuino expreſſo, licet ſufficienter demonſtretur eſſe de iure diuino virtuali, & interpretato, & ex conſequentia neceſſaria deducto, ita quoque ex ipſorum opinione nullum deſumi poteſt argumentum probabile ad oſtendendum libertatem Eccleſiaſticam non eſſe de iure diuino ſimpliciter ſi attendatur ad alterum principium, traditionis ſcilicet Apoſtolorum Dei ordinatione pronunciatæ. Etenim ſi hi doctiſſimi, & eorum ſequaces quicunque alij ad hoc alterum principium mentem ſuam, & ingenium adhibuiſſent, certo certius eſt credendum, quod affirmatiue concluſiſſent, libertatem hanc Eccleſiaſticam, de qua loquimur, eſſe non de ſolo iure humano, Pontificio, & Cæſareo, ſed etiam de iure diuino quo ad cauſas etiam politicas, tam criminales, quam ciuiles: cum tot tantique Pontifices martyres, & confeſſores teſtificentur, conſtitutam eſſe Dei ordinatione, & præcepto, per traditionem Apoſtolorum, & Patrum promulgato, quibus aduerſari auſi non fuiſſent vllo pacto abſque manifeſtæ veritatis præiudicio. Et vt nullus ambigendi locus remaneat, de hac noſtra Concluſione: Quod nimirum hæc immunitas Eccleſiaſtica ex traditione Apoſtolorum ſit in Eccleſia introducta, regulam illam Auguſtini expedit huc aſſerere, qua certiſſ. cognoſci poteſt aliquod dogma ex traditione Apoſtolorum proficiſci; quam regulam ipſe Auguſtinus in principio, cap. 24. lib. 4. contra donatiſtas ponit per hæc verba, dicens Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs ſolis inſtitutũ, ſed ſemper retentum, non niſi authoritate Apoſtolica traditum, rectiſſime creditur. hanc Auguſtini regulam, quam etiam nominat Melchior Canus, de locis Theolog lib. 3. cap. 4. ſic per rationem ſuperadductam declarat, Si conſuetudinis cuiuſquam diu in tota Eccleſia obſeruatæ originem, & principium, nec ad Summos Pontifices, nec ad Concilia Epiſcoporum referre poſſumus, ſed ea conſuetudo ad Apoſtolorum eſque tempora retro trahitur, conficitur plane illum ab Apoſtolis eſſe profectum. id ipſum aptatur totum immunitati Eccleſiaſticæ, de qua diſſerimus, nam immunitatem iſtam Eccle-

Relect. de eccl. pot. q. vlt. prop. 33 nu. 31 4. d. 15. q. 2. ar. 3. eod. de eccl. q. 2. praſt. q. 3. ver. contra opin.

ſiaſti-

ſiaſticam vniuerſalis ſemper tenuit Eccleſia,& per conſuetudinem in tota *Eccleſia* Catholica ſemper obſeruata eſt: quæ ſiquidem, quamuis à Summis Pontificibus,& Concilijs legatur instituta, nihilominus ipſius origo, atque principium non ſiſtitur in decretis Pontificum ſolis, & Concilijs, ſed euidentiſſime retrotrahitur vſque ad Apoſtolorum tempora, & viuam traditionem,vti conſtat ex ipſis teſtificationibus tam Conciliorum Generalium, quam etiam Summorum Pontificum. Et vt gradatim procedamus,vſque ad ipſos Apoſtolos, incipientes à noſtro tempore. *En* Concilium Tridentinum,hanc *Eccleſiaſticam* immunitatem non ſtatuit in ſolis Canonicis ſanctionibus,ſed illam refert ad Dei ordinationem,ſcilicet factam ipſis Sanctis Apoſtolis, & ab eiſdem promulgatam. Concilium item Lateranenſe ſub Innocentio III.refert ad ius diuinum dum dicit, quod laici nimia de iure diuino ſibi vſurpant, &c. Ioannes Papa III. de Iuſtino Imperatore ſcribens ad vniuerſos *Epiſcopos* per Germaniæ, & Galliæ *Prouincias* conſtitutos,refert,ad diſpoſitionem cæleſtis ordinis.dicens. Si Imperator Catholicus eſt, &c. contra diſpoſitionem cæleſtis ordinis nihil vſurpet. Simmacus in ſexta ſynodo habita tempore Theodorici Regis de ioraſoribus rerum *Eccleſiaſticarum*, refert ad regulas *Euangelicas*,Propheticas, & Apoſtolicas. Leo Papa I epiſtola 94. ad *Epiſcopos* intra Thraciam conſtitutos, refert ad iuris antiqui formulas ante omnes leges. Iulius Papa I. in ſuis decretis, c. 36. Eandem immunitatem,refert, ad regulam informationis habitam in Eccleſia per Apoſtolum Petrum, inquiens (pro immunitatis concluſione præmiſſa) portemus onera omnium qui grauantur, quinimo hæc portat in nobis Beatus Petrus Apoſtolus,cuius vice fungimur legatione, & cuius regulæ informamur; Damaſus Papa refert,ad Apoſtolorum,& Patrum traditionem. In Concilio Carthaginenſi ſub Syluestro I.celebrato,& ab eodem confirmato,cap. 9 refertur ad defenſionem Eccleſiaſticam,quæ incepit ab Apoſtolis. Melchiades Papa,& martyr,refert hanc immunitatem ad ſtatutum à temporibus Apoſtolorum. *Euſebius* Papa I.refert ad obſeruationem à tempore Apoſtolorum. Marcellus Papa,& martyr eam refert,tam ad definitionem Beati Clementis Papæ I.eum inſtruentibus Apoſtolis,quam ad ipſos Sanctos Apoſtolos,qui a *Deo* ſibi traditā prædicauerunt,& docuerunt. Fabianus Papa,& martyr,refert eandem immunitatem ad Sanctos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores. Thelesphorus Papa,& martyr.refert,& ad legem Dei & Apoſtolorum,& prophetarum. Alexander Papa I & martyr,pariter & Anacletus,eandem referunt ad doctrinam Pauli Apoſtoli ſpecialiter 1. ad cor.cap.6. Postremo. Clemens Papa I.& glorioſus martyr ipſam immunitatem *Eccleſiaſticam* refert ad ipſum

Apoſto-

Apoſtolum Petrum ſequentem à ſecularibus omnibus, & plebe erga *Epiſcopos*. Ex ſupradictis omnibus neceſſariò colligitur, & confirmatur, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam, etiam non eſſe ſimpliciter, & primò de ſolo iure humano Eccleſiaſtico, ſed eſſe etiam de iure diuino, per verã, certam, atque perpetuam traditionem ab ipſis Sanctis Apoſtolis introductam, & declaratam à Deo ſic eis ordinante.

CONCLVSIO SEXTA.

OPinio, atque ſententia illorum Theologorum, & Canoniſtarum non aſpernandæ, ſed ſuſpiciendæ authoritatis doctorum, dicentium ſimul & aſſerentium immunitatem, ſeu libertatem Eccleſiaſticam, tam perſonarum, quam etiam communium bonorum Deo oblatorum, non eſſe de iure diuino, expreſſo ſcilicet, in aliqua tam veteris quam noui teſtamenti authoritate explicito nullum certe præiudicium inferre poteſt ſuperioribus concluſionibus noſtris, quæ ex principio traditionis Apoſtolicæ, concludunt eandem immunitatem eſſe de iure diuino. tum quia aliud principium eſt atque diſtinctum, traditio Apoſtolica, & aliud principium eſſe expreſſum Dei verbum, ad demonſtrandum aliquid eſſe de iure diuino, vt in ſuperiore concluſione poſitũ eſt pro fundamento, ex ipſa Catholicæ Eccleſiæ diſciplina. tum quia doctores tam Theologi quam Canoniſtę, qui docent non eſſe de iure diuino, ſcilicet expreſſo: Nõ veniunt propterea arguendi, & multo minus de errore manifeſto condemnandi, donec aliter ab *Eccleſia* Catholica fuerit determinatum. tum etiam, quia ſi ſacræ ſcripturæ loca illa quę videntur immunitatem hanc conſtituere ad genuinam verborum ſignificationem applicentur, ſecundum Doctorum etiam Catholicorum magnę authoritatis interpretationes. non adeo clare Concluſio comprobabitur pro immunitate hac Eccleſiaſtica, vt de iure diuino expreſſo: quod facile conſtare poterit percurrenti omnia, & diſcutienti illa ſacræ ſcripturę loca, quę in rem hanc ſolent à quibuſdam doctoribus adduci. & vt in gratiam dubitationis enodandæ, loca ſpecialiter percurramus, Eo tenore quo ipſi doctores pro ſua comprobanda ſententia percurrunt, exordium ſit ab illa veteris teſtamenti authoritate, quæ habetur Geneſ. 47. videlicet *Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Aegypti Regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt quaſi in legem, abſque terra ſacerdotali quæ libera ab hac conditione fuit.* Verba hæc, & ſi expreſſe aſſerant libertatem poſſeſſionum ſacerdotalium a grauamine illius quintę partis, quæ de lege generali impoſita fuit ſuper bonis omnium ſecularium Aegypti, nihilominus minime conſtat eſſe pronunciatam de

ipsius Dei ordinatione, non enim apparet rationi iustæ consentaneum, cum omnia, quę à Deo sunt, iusta, & ęterna ratione sint ordinata, Quod Deus ipse sui summi honoris zelantissimus, sacerdotes illos honori Dei veri infensissimos, qui falsis Dijs, & Idolis sacrificia offerebant, populosque ad Idolatrandum inducebant, hac immunitate voluerit, & ordinauerit donari: quam non solum minime merebantur, sed potius maiori grauamine digni erant, in odium iustum Idololatrarũ ipsorum. apparet igitur tunc & ibi immunitas illa concessa ex quadam rationabili concurrente causa (eo, quia sacerdotes à populis pręcipuo honore afficiebantur) constituta ab ipso Ioseph, & pręsidente, & homine, ab ipso etiam Rege Idololatra, sacerdotes suos venerãte approbata, siue confirmata. Nec obstant illa verba, quę leguntur in cap. tributũ. 23. q. 8. videlicet (domino ea tunc pronunciãte sacerdotes in omni gente liberos esse oportere,) quia in eo cap. tributum, quod ascribitur Vrbano Papę I. ab illis verbis pręcise (Quamuis autẽ) vsque ad finem nõ sunt Summi Pontificis Vrbani, eo quia in tota epistola Vrbani, quę vnica est non reperitur quid tale, sed ipsius potius decretorum compilatoris Gratiani, & idcirco illa additio (domino ea tunc pronunciante) non videtur tanti facienda, vt inde authoritate Vrbani posset confirmari de ipsius Dei ordinatione tunc fuisse, & de iure diuino expresso. Vnde non adeo incongrue Dominicus Sothus, lib. 4 sent. dist. 25. q. 2. art. 2. & Concl. 3. infert, quod ex illo facto quamuis conijci possit, quod in lege naturę vbi Dei veri cultus vigebat, & radius ille fidei tunc reuelatę admonebat, sacerdotes institui, attamen immunitas sacerdotum, & eorum bonorum a grauaminibus solo iure gentium fuit constituta, non autem iure diuino, vel speciali aliqua ex tunc habita Dei ordinatione.

Alter veteris testamenti sacrę scripturę locus, qui habetur 1. Esdrę 7. per illa verba expresa. *Vobis quoque notum facimus de vniuersis sacerdotibus, & leuitis, & cantoribus, & ianitoribus nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Verba hæc, vt iacent expresè iam continent libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam illorum sacerdotum á soluendis vectigalibus, tributis, & similibus. Verum quia vt patet io text. hęc exemptio non à Deo ipso facta legitur, neque de ipsius Dei speciali ordinatione, sed simpliciter ab ipso Rege Persarum Artaxerxe, concessa legitur Sacerdotibus, atque Leuitis Israelitici populi in gratiam ipsius *Esdræ* Sacerdotis Dei: sic enim habet a sui principio illud Regium priuilegium. *Artaxerxes Rex Regum, Esdræ sacerdoti scribæ legis Dei Dœli simo, salutem. A me decretum est*, &c. Vnde manifeste constat, quod verba illa specialis concessionis immunitatis á vectigali, tributo, & a-

& adnota, ſunt ipſius Regis, et Principis ſic deuoti, non autem ipſius Dei, vel de Dei ſpeciali ordinatione prolata. Vnde ex illo quoque loco ſacrę ſcripturę, clare colligitur immunitatẽ illã tunc fuiſſe ſolo iure humano Regis illius conſtitutam.

Tertius locus ex pſal. 104. in illis Dei verbis. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Verba autem, ſcilicet (Chriſtos meos) vt conſtat ex contextu litterę, dicta ſunt peculiariter de Prophetis, & Principibus vnctis, per quæ nihil aliud explicatur, niſi quod Dei voluntas ſit, quod nulla ſuis miniſtris irrogetur iniuria, eo quod atrocius crimen eſſet, quam ſi priuatæ cuilibet irrogaretur perſonę comprobatur litteralis, ac proprius hic ſenſus, ex illo 2. Reg. 1. vbi Dauid arguens iuuenem illũ Amalechitã, qui nunciauerat mortẽ Saulis dixit ei. *Quare nõ timuiſti mittere manũ tuã, vt occideres Chriſtum dominĩ*. & licet aliquo pacto verba poſſent ad perſonas omnes ſacras applicari, tamen cũ contineant præceptũ illud negatiuũ, offenſionẽ non irrogandã Eccleſiaſticis, non apparet quonã modo poſſit detorqueri ad fauorẽ & gratiã immunitatis, cũ nulla fiat ibi mẽtio de adminiſtratione iuſtitiæ.

Quartus locus eſt ſacræ ſcripturæ noui teſtamenti Matth. 17. Vbi dominus preueniens Petrum, qui fuerat interrogatus à miniſtris, qui didragma accipiebant, dixit illi, *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, & cenſum à filijs ſuis an ab alienis?* & ille dixit, *ab alienis*, dixit illi Ieſus *ergo liberi ſunt filij, &c.* Quibus verbis fit expreſſa mentio immunitatis filiorũ Dei à ſolutione tributi & cenſus; vbi nomine filiorum, non incongrue, ſed ad litteram poſſent intelligi perſonæ omnes Eccleſiaſticæ, quibus per illam domini noſtri collectionem (*ergo liberi ſunt filij*) videatur expreſſe pronunciata, ipſius Dei, & Domini authoritate immunitas, & exemptio clericorum omnium Eccleſiaſticarum perſonarum à ſolutione Gabellarum, & ſimilium grauaminum; & eo magis ipſas perſonas Eccleſiaſt. à cognitione iudiciali in cauſis ciuilibus, & criminalibus.

Veruntamen, quia locus hic Sacri Euangelij non ex communi Patrum, Theologorumque exponitur de filijs, accepta pro clericis perſoniſque Eccleſiaſticis tanquam in Dei ſortem datis, atque vocatis, vt in cap. clericus 12. q. 1. ſed aliqui, vt ſunt Diuus Bonauentura in 4. ſen. diſt. 44. 2. 2. q. 1. quẽ ſequitur Sot. in 4. diſt. 25. q. 1. 2. 3. hi dicunt nomine filiorum, etiam intelligi poſſunt, qui Apoſtolicam vitam ſecuti, ſtatum paupertatis elegerunt. ex qua interpretatione, poſſent dici exempti de iure hoc diuino Euangelico à ſolutione tributi & vectigalium, omnes regulares tantum, qui nil proprium habent. Quamplures vero Patres, vt Chriſoſt. ſuper Matth. cap. 17. homil. 54. Theophil. ſuper eodem cap. Matthæi 17. Origenes eodem loco. Hieronymus pariter. Toſtatus, Diuus Thomas

in lib. 2. sent dist.44.art.2.q.2.interpretantur hunc Euangelij locum de sola persona ipsius Christi qui filius cælestis Regis est, ex quo de seipso concludit solum, quod nõ esset obligatus ad soluendum tributum. Ideo ex hoc Euangelij loco non potest desumi testimonium firmum quo immunitas personarum Ecclesiasticarum, & rerum, sit & dici debeat de iure diuino expresso. Quamobrem cum nullus alius sacræ scripturæ locus noui præsertim testamenti, qui aliquam præ se ferat verborum expressionem sit: Vnde in sensu genuino litteræ valeat significari, immunitatem & libertatem Ecclesiasticam, tam personarum, quam etiam rerum, esse de iure diuino expresso, horum doctorum sic asserta Conclusio posset æquo iure tolerari sine Conclusionum nostrarum, & ipsius veritatis ostensæ, ac cõprobatæ vllo præiudicio Etenim si attendantur, vt conuenit: verba, conceptus, & rationes omnium illorum doctorum tam Theologorum, quam Canonistarum, qui negant immunitatem Ecclesiasticam esse de iure diuino, confitendum est libere, quod de solo iure diuino expresso dicunt, loquuntur, atque concludunt, non autem de iure diuino virtuali, per necessariam consequentiam deducto: de quo nostram sequentem statuimus Conclusionem. Ad quam statuendam ab ipsis Sanctissimis Pontificibus in præmissa serie recensitis, nos inducimur necessario eo, quod quamplures ipsorum, authoritates præsertim noui testamenti allegant crebro, ad demonstrandum eandem immunitatem Ecclesiasticarum personarum, esse Dei ordinatione, & præcepto, & sic de iure diuino constitutam. qui siquidem Sanctissimi Pontifices (vt est operæ pretium) non censendi sunt incassum, & ex animi leuitate, authoritates sacræ scripturæ allegare, sed de industria, & de Spiritus sancti illustratione speciali, quæ sacri Euangelij loca, & si non ita expresse de sui prima, ac naturali significatione illam significent, attamen virtualiter eandem re vera continent, & via necessariæ deductionis exponunt. Vnde fit necessarium inferre, quod immunitas, seu libertas Ecclesiastica non solum sit dicenda de iure diuino, via, & principio traditionis Apostolorum, & Patrum promulgato, sed etiam via, atque principio ipsius verbi Dei in nouo testamento exarati suo virtualis continentiæ modo.

CONCLVSIO SEPTIMA.

Immunitas, seu libertas Ecclesiastica tam personarum ministerio diuinorum addictarum, quam bonorum communium assignatorũ sustẽtationi ministrorũ est & dici debet esse de iure diuino scripto, & si nõ expresso attamẽ virtuali, hoc est per necessariã consequentiæ naturalis collectionem deducto. pro cuius conclusionis exacta comprobatione, operæpretium est impensius adnotare,

quod

quod quidpiã eſſe, vel dici debere de iure diuino ſcripto, prima ſub & vniuerſaliori diſtinctione, venit intelligẽdum dupliciter, ſcilicet aut expreſſe, aut virtualiter per neceſſariam conſequentiam deductio, illud autem intelligendũ eſt, eſſe de iure diuino expreſſo, quod verbis in ſacra ſcriptura ad litteram exaratis, tam veteris, quam noui teſtamenti, ſecundum naturalem ipſorum verborum ſignificationem exprimitur, virtualiter vero in iure diuino contineri intelligitur, illud quod ex eiſdem ſacrę ſcripturę verbis de neceſſaria deducitur conſequentia. exempla eorũ quæ de iure diuino expreſſo dicuntur, hęc ſunt: preceptum de Baptiſmo ſuſcipiendo, & de forma eius ſeruanda, per illa Euangelij verba Ioan. 3. *Amen, Amen, dico vobis niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spirituſancto non poteſt introire in Regnum Dei*, & illa Matthęi vltimo *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*. de Eucharistia ſumenda expreſſa verba ſunt illa Io: 6. *Amen, Amen, dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c.* de pœnitentiæ Sacramento clara ſunt pariter verba illa Io: 20. *Accipite ſpiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* exempla de iure diuino virtualiter contento ſunt, preceptum de confeſſione peccatorum integre facienda ſacerdoti, nam ex verbis ſupra dictis, *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* quibus inſtitutum eſt pœnitentiæ Sacramẽtum, per neceſſariam deducendo conſequentiam iuxta declarationem ſacri Concilij Tridentini: Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutã etiam eſſe à domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere Quam deductionem ſic Patres efficiunt, quia Dominus Noſter Ieſus Chriſtus aſcenſurus ad cœlos ſacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam pręſides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, &c. conſtat autem iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos de pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.

Eſt quoque magnopere animaduertendum, quod illa nimirum, quę virtualiter eſſe perhibentur de iure diuino, per deductionem conſequentiæ neceſſariæ, vlterius diſtingui poſſunt, ac diuidi in plures gradus, cũ non ſemper in vno conſequentię neceſſarię articulo terminentur, ſed aliquod in primo, aliquod in ſecundo, aliquod in tertio, & quarto quoque gradu virtualem ſibi vendicat deductionem, & continentiam. exempla eruantur ex ipſomet pœnitentiæ Sacramento ſuperius exemplificato, ecce quomodo de iure expreſſo vt dictũ eſt habetur, Sacramenti huius diuina inſtitutio per illa verba *quorum remiſeritis &c.* quibus proprie expreſſe, atq. primo,

der in eodem loco inſinuat ad eundem effectum per illa ſua verba. Sacerdotes Dei ad iudices publicos accuſare præſumant cum magis Apoſtolus, Chriſtianorum cauſas ad Eccleſias deferri, & ibidem terminari præcipiat. Quem etiam Apoſtoli locum Patres in Concilio Carthaginenſi tertio, & tranſumitur eadem cauſa, & q. in cap. placuit 2. ad eandem immunitatem comprobandam perſonarum Eccleſiaſticarum, allegant per illa ſua ibidem conſimilia verba. Siquidem ad eligendos iudices iniquæ de Eccleſiæ conſortio iudicat, qui de uniuerſa Eccleſia male ſentiendo, de iudicio ſeculari poſcit auxilium: cum priuatorum etiam cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibidem determinari præcipiat. Tertius locus eſt frequentiſſime à pluribus Pontificibus adductus. Matth. 10. *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum*, & ad Rom. 14. *Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? domino ſuo ſtat, aut cadit.*

Si igitur tam Alexander Papa I. quam Patres Concilij hæc Euangelicæ ſcripturæ loca ad comprobandam Eccleſiaſticarum perſonarum immunitate eſſe pluſquã de iure humano, & certe diuino adducunt, & eadem quoq; nos ad eadem comprobationem perficiendam oportet adducere, ſicuti & adducimus E primo. locum illum Matth. 16. *Tu es Petrus &c.* cui comparia Euangelij loca adduplicantur, puta illud Matthæi 18. *ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi, ſicut & ethnicus, & publicanus, Amen Amen dico vobis quæcunque alligaueritis &c.* Et illud Ioannis 21. *Paſce oues meas*; Nam hæc tria ſacri Euangelij loca in vnum pariter coapiat Ioannes Driedonus li. 3. de libertate Chriſtiana cap. 3. ex quibus deducendo comprobat omnem immunitatem Eccleſiaſticam eſſe de iure diuino. Agite nunc, per neceſſariam ſuam conſequentiam, deductionem formemus ſecundum ſuos deductionis gradus. Ecce in illis ſacri Euangelij verbis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. Si Eccleſiam non audierit*, & *Paſce oues meas*, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, expreſſe ab ipſo Deo, & Domino Noſtro Ieſu Chriſto inſtitutam eſſe, & vere collatam Petro eius primo Vicario, & ſucceſſoribus illius ſummis Romanis Pontificibus, poteſtatem ſummã Eccleſiaſticã, ſuper omnes Chriſti fideles abſq; diſcrimine, tam clericos quam laicos, tam Principes quam populares, vt in cap. ſolitæ. de maiorit. & in conſti. vnam ſanctam. eodem tit. & in cap. duo ſunt 96. diſt. & hoc, ad finem conſecutionis vitæ æternæ, & vt integre, & ſine impedimento conſeruetur diuinus cultus qui vero Deo debetur ab omnibus Chriſtifidelibus & hic eſt principalis gradus, nempe poteſtas Eccleſiaſtica, ad finem conſeruãdi cultus diuini de iure diuino expreſſo, ab ipſo Deo immediate collata Summo Pontifici Romano, ſecundum ſuam ſuper omnes eminentiam, per illa verba, *Paſce oues meas*, & conſequenter alijs omni-

bus

qui conuenerant ad Nicænam ſynodum obtuliſſent ei libellos cauſarum, & querelarum, quas alij aduerſus alios habebant, conuocatis illis omnibus dixit. Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autē iudicari ab hominibus non poteſtis. hæc ſiquidem Imperator, vt veri, & iuſti ſuadet ratio non ex ſuo ſenſu expreſſit, vel de ſola animi ſui deuotione, ac reuerentia fatus eſt, ſed à viris ſanctiſſ. & ſapientiſſ. eius tēporis inſtructus de hoc ipſo diuino iure per neceſſariam, vt dictum eſt conſequentiam deducto vti nos in ſuperioribus abunde explicauimus. Et hic eſt ſecundus iuris diuini iſtius deductionis gradus.

Ad hæc, vt omnes docent, & aſſerunt doctores ideo Reges à ſubditis ſuis iuſte tributa, & vectigalia recipiunt, quia adminiſtrationis Reipublicæ perferunt labores, atque clerici, Eccleſiaſticæque cæteræ perſonæ non minores labores perdurant in adminiſtrandis ſacris, ſeruitijsque diuino cultui neceſſarijs, ergo æqua iuris fit recompenſatio, vt tributa, & vectigalia ab eis non exigantur, quia etiam ipſis Eccleſiaſticis miniſtris & omnibus Dei ſeruitio dedicatis de iure diuino debetur ſuſtentatio de bonis temporalibus, ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Item, *ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere*, ſed bona temporalia ad ſuſtentationem neceſſaria, in iure dicuntur eſſe propria hominis vita, gloſſa in l. aduocati C. de aduo diuer iud. ideirco ex neceſſaria deducitur conſequentia. quemadmodum perſonæ Eccleſiaſticæ diuino hoc iure ſunt à iuriſdictione Principum ſecularium exemptæ, ita & eodem iure ſic deducto eorum bona ſuæ ſuſtentationi deſtinata, ſunt ab omnibus tributis, vectigalibus, alijſque ſimilibus ſecularibus grauaminibus libera. & hic eſt gradus tertius diuini huius iuris per neceſſariā conſequentiam deducti.

Ecce quomodo clariſſime proponuntur quatuor gradus eiuſdem iuris diuini, vnde comprobatur eſſe de eodem iure omnem libertatem Eccleſiaſticam, quæ in Canonicis ſanctionibus ſpecificata reperitur, ad inſtar quatuor quoque gradunm iuris diuini quo Sacramentum pœnitentiæ eſt diuinitus inſtitutum, ex quo tres alij gradus per neceſſarias ſuas cōſequentias deductiue ſub eodem iure contineri declarantur. Etenim quemadmodum ipſum pœnitentiæ Sacramentum in ſe conſideratum de diuino iure expreſſo eſſe oſtenditur in ſuo primo, ac principali conſtitutionis gradu ex verbis illis Euang. Io. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*; ita de iure diuino expreſſo, in ſuo quoque principali gradu oſtenditur eſſe poteſtas Eccleſiaſtica ab *ipſo Deo*, & *Domino Noſtro Ieſu Chriſto* immediate inſtituta in

illis Sacri Euangelij verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.*

Et sicuti de eodem iure diuino per suam consequentiam necessariam deducto, ostenduntur esse illi tres pœnitentis actus, scilicet contritio, confessio, & satisfactio in suo gradu per deductionem primo: ita pariter de eodem iure diuino per suam consequentiam necessariam deducto, esse ostenditur, ordinatio, & constitutio ministrorum Ecclesiæ, & personarum diuino cultui mancipatarum in suo hoc primo gradu deductiue.

Præterea, quemadmodum sub eodem iure diuino virtualiter in Sacramento pœnitentiæ per consequentem collectionem contineri explicantur peccatorum circonstantiæ quæ speciem peccati mutant, & hoc in secundo suę deductionis gradu: Ita etiam sub eodem iure diuino virtualiter de Ecclesiastica potestate per consequentem collectionem contineri declaratur exemptio, atque immunitas personarum Ecclesiasticarum, tam Prælatorum, quam cæterorum in ministerium Sacrum adscriptorum, ab omni iurisdictione Principum secularium, & hoc similiter in suo deductionis gradu secundo.

Ad hæc, sicuti in suo etiam gradu tertio: continentiæ virtualis eiusdem iuris diuini Sacramenti pœnitentiæ, per suam consequentiam necessariam deductiue declaratur esse diligens discussio propriæ conscientiæ, ita consimili modo, & proprie, in suo tertio gradu deductiue ex eodem diuino expresso iure potestatem Ecclesiasticã instituente, declaratur, constitutam esse exemptionem, libertatemque bonorum temporalium in sustentationem ministrorum, ab omnibus tributis, vectigalibus, alijsque grauaminibus secularium, quemadmodum, & de eodem iure ipsæ Ecclesiasticæ personæ perhibentur immunes, & liberæ à Principum secularium iurisdictione, & hoc in suo tertio gradu deductionis per consequentiam necessariam.

In maiorem rei euidentiam, & corroborationem: omnium moralium præceptorum gradatim deductionem pro exemplo aptiorẽ hac afferam. Ecce vniuersa moralia præcepta quæcunque illa sint tam in veteri, quam in nouo testamento conscripta ad legem naturæ spectant, iuxta illud Apostoli ad Roman. 2. *Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter, ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Præcepta autem moralia omnia in triplici reperiuntur gradu de iure naturæ secundum modos diuersos, qui in eisdem legis naturalis principijs virtualiter continentur, & per suam consequentiæ necessariæ deductionem ab eisdem descendunt. Principia illa prima duo sunt, alterum affirmatiuum aliud, quod habe-

 tur

tur Matt. 7. *Quæcunq. vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* alterum negatiuum, illud quod habetur Thob. 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* ex his principijs in primo conſequentiæ gradu, collocantur omnia præcepta decalogi, quę conſcripta ſunt in ſecunda tabula. ex illo namque primo principio affirmatiuo, *Quæcunque vultis, vt faciant vobis, &c.* Ex ſua naturaliter conſequente deductione, ſtatuitur in hoc primo gradu præceptum ſpeciale honora patrē tuū, & matrem tuā. nam ex eo, quod velles à filijs tuis te honorari, naturaliter tanquā per ſe nota infertur cōcluſio, quod tu debeas patres tuos honorare. Et ex illo altero negatiuo principio, *Quod ab alio oderis fieri tibi, &c.* ſubinfertur ſtatim ex neceſſaria cōſequētia, quod dū nollem ab alijs lædi in perſona, vel in bonis, colliguntur præcepta illa ſpecialia. *Non occides, non furtum facies, non adulterabis, non falſum dices teſtimonium.* In ſecundo deductionis gradu, collocatur illud, quod habetur Leuit. 19. *Coram cano capite conſurge & honora perſonam ſenis*, quia hoc nō eſt ita notū ſicut debitum honorandi parentes, illud quoque in hoc ſecundo gradu collocatur, quod habetur in Euangelio Matth. 5. *Qui autem dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.* In tertio deductionis gradu, ſtatuuntur præcepta primæ tabulæ Exodi 20. *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile, nō aſſumes nomen domini Dei tui in vanum.* Nec, quis miretur præcepta hæc primæ tabulæ collocari in gradu tertio, quia deductio hæc quæ ex primis fit principijs non concernit præceptorum dignitatem, ſed diſtantiam à principijs, quæ præcepta, licet ſint digniſſima, & elegantiora, perhibentur tamen eſſe à principijs naturæ, & ad ſui collectionem indigent ſubtiliore indagatione, & egent inſtructione diuina, in quarto ac vltimo gradu conſtituuntur actus omnium virtutum, de quibus omnibus, vt communiſſima Theologorū habet, præceptū de eadē lege naturæ à Deo nobis traditum eſt, cum omnes virtutes ſpectent ad iuſtitiam generalem, tanquam ſpecies ad ſuum genus. hanc gradationem moralium omnium præceptorum doctiſſime tradit S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 1. quem ſequitur Sotus de iuſtitia, & iure lib. 2. q. 3. ar. 1.

Sicut igitur omnia præcepta moralia ſecundum ſuos diſtinctos conſequentiæ naturalis gradus deducuntur ab eiſdem principijs primis legis naturalis, & ad eandem naturalem legem eſſentialiter ſpectare dicuntur, ita aſſerendum eſt, omnes gradus immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticę ex naturali deductione collectos ab eodē iure diuino, quo expreſſe poteſtas eadem eſt inſtituta, proficiſci, & contineri. Hunc namq. deductionis ordinē, Patres Concilij Trid. inſinuare perhibentur per illa ſua fœcundiſſima verba ſapientiſſime notata, nec ſemel à nobis recenſita, Videlicet Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, &

Canonicis sanctionibus constitutam. Nam dum primo dicunt (Dei ordinatione) omnem diuini iuris de ipsa Ecclesiastica pot. expressam, atque virtualem continentiam insinuant: & dum subnectunt, (& canonicis sanctionibus constitutam) omnes gradus qui ad idem ius diuinum reducuntur, & ab eodem de necessaria consequentia deducuntur, specificationemque in sacris Canonibus effectam designant. nam omnes sacri Canones, qui rem hanc continent, si recte considerationis trutina perpendantur, & ad authoritates Sancti Euangelij in Concilijs generalibus, & decretis Pontificum in illum effectum allegatas limpido intelligentiæ oculo applicentur; nihil aliud certo certius efficere in re hac comperientur, nisi quod immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, tam personarum, quam etiam rerum per se specificant de ipsius Dei voluntate, & ordinatione prius constitutam.

Ex altero sacræ scripturæ noui testamenti loco, scilicet 1. ad Corint. 6. ubi Apost. dicit. *Audet aliquis vestrû habens negociû aduersus alterû, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos. An nescitis quoniam, &c. An nescitis quoniã angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* quo siquidẽ Dei verbo Paulus, argumento sumpto per locũ à maiori, doctrinã tradit expressam diuini iuris, ex quo deducitur, quod causæ Christianorum non debeant deferri ad iudices infideles, quando scilicet ipsi fideles non viuunt sub imperio infideliũ Principũ, neque tunc ab ipsis vocati, vt conueniant ad tribunal, & forũ ipsorũ, sed solummodo, ad fideles, qui virtute sacri baptismatis ab Apostolo omnes dicuntur Sancti, & specialiter ad sacerdotes, qui hic ab Apostolo ob sacerdotalem dignitatẽ modo specialiori, & eminentiori appellantur Sancti: ex quo loco tanquam Dei verbo sic expresso de sua virtuali, & vera continentia per eandem formatam rationem argumenti à maiori negatiue, quod necessario semper concludit in omni facultate: Deducitur per suam necessariam consequentiam, quod quemadmodum causæ Christianorum secularium nõ possunt iuste deferri ad iudices infideles, sed possunt licite deferri ad sacerdotes qui digniori modo dicũtur Sancti, vt Anacletus Papa dixit, omnis oppressus, libere, si voluerit sacerdotum appellet iudiciũ & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur, & iudicetur cap. Omnis oppressus. 12. q. 6. ita & causæ sacerdotum, & aliarum Ecclesiasticarum personarum de eodem diuino iure non possunt iuste deferri ad iudices seculares, cum sint distincti, & alieni fori, & diuersæ conuersationis, ita vt laici à priscis illis temporibus dicti, & appellati sint seculares, hoc est prophanam conuersationem seculi sectantes, & clerici a diuerso dicti, & appellati fuerint sancti, ob conuersationem, & vitam sanctam, ad quam sunt à Deo vocati. Hanc deductionem, & consequentiam iud ca-

tung

ruit eſſe neceſſariam Patres antiquiſſimi, qui locum iſtum Apoſtoli ad hanc Eccleſiaſticam immunitatem ex Dei verbo comprobandam allegarunt, vt ſuperius recenſitum eſt, num. 4. Alexander I. & Patres Concilij Carthaginenſis III. vt ſuperius num. 18. dicentes eadem quaſi verba tam Alexander quam etiam Patres Concilij, pro eo, cum magis Apoſtolus Chriſtianorum, ſeu priuatorum cauſas ad Eccleſias deferri, & ibi terminari præcipiat. Et ea magis conſequentiam hanc ex his verbis Apoſtoli neceſſariam omnino iudicarunt prędicti Patres, vt euitarent inconueniens, & abſurdum illud, quod Clemens ex Petro dixerat. Nihil enim iniuſtius, & inhoneſtius eſt quam filios patribus rebelles, & laicos doctoribus, & magiſtris inobedientes, vel proteruos exiſtere. Quod quidē abſurdum certiſſime tunc conſequeretur, quādo ſacerdotes, & ſacræ aliæ perſonæ à laicis iudicarentur: nam argumentum ab abſurdo euitando ad interpretationem cuiuſcunque diſpoſitionis vrgentiſſimum eſt, & ſemper concludens neceſſario, de quo in ſequenti Concluſione, tanquam in ſuo opportuniori loco largius diſſeremus agentes de ratione, quę deſumitur ab inconuenienti & abſurdi euitando cum adductione conſimilis teſtificationis habitę per Gregorium Papam VII. Ex hoc igitur Apoſtoli loco, 1. ad Corinth. 6. de virtuali continentia per neceſſariam conſequentiam conſtituta declaratur eodē diuino iure perſonarū Eccleſiaſticarum immunitas in omnibus cauſis tam ciuilibus quam criminalibus à Principum ſecularium iuriſdictione.

Alius ſacrę Euangelicæ ſcripturę locus eſt apud Matthæum 10. quem locum ad hunc effectum demonſtrandi immunitatem hanc eſſe de iure diuino ex Dei ordinatione, allegant Patres Eccleſiæ Catholicæ vti Clemens Papa I. Theleſphorus, Pius I. Fabianus I. Iulius I. Gregorius I. &c. qui omnes ad hanc libertatem Eccleſiaſticam comprobandam de iure diuino eadem Domini noſtri allegant verba, ſcilicet. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Per hæc verba dominus, & Deus noſter veluti argumēti maiorē aſſert propoſitionē ex ipſa ratione naturali, quæ dependet à veritate, quæ in Deo eſt: videlicet, quod diſcipulus cum egeat in addiſcendo magiſtri ope, & opera, & oporteat addiſcentem credere, ſcilicet magiſtro eum docenti nullo pacto debet, aut poteſt ſuper eundem ſe docentem magiſtrum habere aliquam ad docendum authoritatem, quia omnis doctrina, quæ proficiſci debet ex ore magiſtri, & omnis dependens diſciplina, quę ſuſcipitur in aure diſcipuli, fit ex præexiſtenti cognitione ex principijs ſcilicet, quæ ipſe magiſter aſſumit & proponit, vt diſcipulus ipſe exordium capiat addiſcendi: tunc conſequens eſt, quod & veritas rationis naturalis exigit ex ſua ipſa natura, vt diſcipulus qui ſub magiſtro compoſitus eſt ipſo ordinante

nante natura nunquam possit se extollere, adeo vt componatur super suum magistrum, scilicet primo in eodem genere doctrinę, & disciplinæ. Vnde concluditur, quod per hęc ipsa domini verba, scilicet. *Non est discipulus super magistrum*. de ipso iure diuino naturali expresso sicuti discipulus non potest docere magistrum, ita secularis subditus Episcopo, & sacerdoti non potest in eodem genere doctrinæ, scilicet spiritualis, eandem exercere actionem erga Episcopum, & sacerdotem. Vnde hac eadem ratione compulsi sunt authores illi qui immunitatem Ecclesiasticam à iurisdictione principum secularium abnegant esse de iure diuino, dicere, & asserere, quod in actionibus spiritualibus concernentibus salutem animarũ, Principes de ipso iure diuino sic sũt subiecti, vt nullo modo

commen. de iud. c. not. 3. præpositi: ex quibus ante Nauar. sunt Franciscus à Victoria, Dominicus Sotus Ioannes de Medina, Didacus Couar. Verum enimuero ad euitandam confusionem tribunalium, & fororũ, quia ordo rationis, & veritatis naturalis peruerteretur, si ille qui Magister est in reb. principaliorib. scilicet spiritualib. euaderet discipulus in rebus vilibus, secundarijs. & tẽporalibus, ideo de eodem iure diuino naturali, per eadem verba Euangelij expresso, scilicet: *Non est discipulus super magistrum*: de necessaria consequentia deducitur, q; magister in spiritualibus, qui est Episcopus, & sacerdos nõ potest fieri discipulus in tẽporalib. sub magisterio scilicet, seu potestate secularium, quam deductionem per clariora, & vrgentiora verba declarauit Iulius Papa I vt superius in serie num. 19. dicens. Sicut maior non potest à minore iudicari, ita nec obligari, quia totum est omne, quod magnũ est, quod quidem inconueniens ipsa naturalis ratio recusat. & hic est sensus secundarius, & interpretatus verborum Domini, *Non est discipulus super magistrum*, videlicet ad literam iuris diuini expressi. Hæc verba important primo superioritatem in spiritualibus actionibus concernentibus salutem animarum, & de virtuali continentia per deductionem necessarię consequentiæ, important insimul immunitatem à potestate seculari in causis temporalibus, vt nullo prorsus pacto sacerdotes, qui magistri sunt secularium possint esse, sub eorum potestate constituti. Hanc eandem virtualem continentiam per necessariam deductionem sibi vendicant verba illa Apostoli ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum Domino suo stat, aut cadit*: nam, & si sensus expressus, intentus principaliter à Paulo sit præcipere ex parte Dei, seu declarare. Dei præceptum de non iudicando fratrem fidelem iudicio temerario, Videlicet, si quis nesciens necessitatem illius qui nõ ieiunat, non debeat illum trãsgressionis præcepti iudicare, iuxta illud Matt. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*. Nihilominus Apostolus assumit sententiam iuris communis naturalis, quo pręs

b. be-

[illegible] hæc eadem Apoſt. verba vi cuiuſdam ſimilitudinis, & analogiæ applicantur ad hoc adprobandum, quod ſacerdotes & perſonæ Eccleſiaſticæ non debeant in cauſis euenientibus iudicari à iudicibus ſecularibus, eo quia perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt virtute miniſterij ſacri effecti ſpeciales ſerui ipſius Dei, & ideo non poſſunt legitime iudicari niſi ab ipſo Deo, & ab eo cui Deus commiſerit, qui eſt Summus Pontifex, & loci Epiſcopus: quod enim Apoſtolus hanc ſuam ſententiam deſumat à iure generali naturæ quo prohibetur aliquis iudicari niſi à ſuo ſuperiori, docet D. Thomas ſuper eodem cap. dicens requiritur enim in iudicante authoritas ſecundum illud Exodi 2. *Quis conſtituit te Principem, & iudicem ſuper nos?* & illud Lucæ 12. *Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?* ſed dicendum eſt, quod in tantum hominis iudicium licitum eſt, in quantum agitur authoritate diuinitus conceſſa, ſi quis vero velit ſibi vſurpare iudicium ſuper ea quæ non ſunt ei diuinitus conceſſa ad iudicandum, eſt iudicium temerarium, ſicut ſi quis iudex delegatus à Papa vellet in iudicando tranſgredi mandati fines: Deus enim ſolum ſibi reſeruauit iudicare occulta, hæc ibi Thom. Quia vero perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt ſpecialiter aſſumptæ in ſeruitium Dei, & effecti ſpecialiter Dei ſerui, ideo Sanctiſſimi Pontifices Clemens, &c. Hæc Apoſtoli verba æquiparate per proportionem, & ſimilitudinem ſerui, & ſubditi applicant rectiſſime ad comprobandam immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticarum perſonarum à poteſtate iudicum ſecularium cum ipſas ſibi ſoli iudicandas reſeruauerit Deus iuxta illud Prophetæ. *Deus ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos diiudicat* (ſeu) *diſcernit*. Quam pſal. 81. authoritatem ad eandem libertatem Eccleſiaſticam comprobandam diuino iure, ſeu ſaltem modo virtuali, & interpretato allegauit Conſtantinus Auguſtus in Concilio Niceno.

In comment. ſuper [illegible] Apoſt. Paul.

CONCLVSIO OCTAVA.

Sanctiſſimi Pontifices, glorioſiſſimique martyres, & confeſſores non ſolum autoritates ex ſacro Euangelio allegant ad comprobandam immunitatem Eccleſiaſticam, ſed etiam ex ipſis ſacræ ſcripturæ autoritatibus rationes deſumunt, & ad eundem adducunt effectum; quas rationes pro veritate hac abundantius ſtabilienda, vt nemo vlterius aduerſus audeat quicquam dicere, nec dubitare, in medium afferre deliberauimus, & in formam quaſi argumentorũ compoſitas extendere. Et ne delicatiori nimiũ taſto, ſuperflua appareat hæc noſtra cõcluſio, eo quod putet non rationibus, ſed autoritatibus in his comprobandis vti oportere ſolum

modo

modo, tã ipsorũ Pontificũ, quã sacræ scripturæ, sicuti Deo gratias iam ad huc ex his principijs duobus videtur completum esse negocium, non pigebit hunc delicatum lectorem admonere: quod quando ex argumento legis proceditur in dubitationibus, quæ exoriuntur in ipsa lege, recurrendum est ad rationem, nam vt iure consulti omnes docent, ipsa lex recipit interpretationem, aut ampliationem etiam restrictiuam, ab ipsa ratione posita, seu scripta in lege, & non solum dicunt procedere, quando ratio est expressa in lege, Canone, vel statuto, sed etiam quando vnica tantum coniecturari potest, ita DD. communiter in l. non dubium ff. solut. matr. eo quia ratio legis, est anima legis, vnde sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis, vel Canonis, dominatur verbis. quinimo videmus Paulum Apostolum in suis epistolis ad aduersarios conuincendos passim nõ solum vti scripturarum testimonijs, verum etiam naturalibus rationibus, & vt vnicum exemplum, sit satis, quod legimus act. 14. cum sacerdos, & Populus Paulo, & Barnabæ sacrificare vellent, quod erat naturæ, & rationi contrarium, naturali etiam ipsi ratione vtentes contradixerunt dicentes: *Viri quid hæc facitis, & nos mortales sumus similes vobis homines annunciantes vobis conuerti ab his vanis in Deum viuum, qui fecit cælum, & terram mare, & omnia quæ in eis sunt, &c.* Rationes igitur conuenit exponere etiam ad comprobandum immunitatem Ecclesiasticam esse de iure diuino, eo quia & ipsi sanctissimi Pontifices, gloriosissimique martyres Domini non contenti; testificationibus suis, quæ satis certe essent, & sacræ scripturæ authoritatem: adducere voluerunt, & rationes naturales ex ipsis scripturis eductas ad maiorem comprobationem in medium afferre studuerunt.

Prima igitur ratio est & vrgentissima, quã affert, & adducit Clemens I. ex Petro, ab inconuenienti, & absurdo omnino euitando, per illa verba, videlicet. Nihil enim iniustius, & inhonestius est, quam filios patribus rebelles & laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes, vel proteruos existere. his verbis Clemens dicit & docet, absurudum esse (quod & grauioribus titulis appellat, iniustius, & inhonestius) si laici, sacerdotibus non obtemperarent, quod absurdum certissime tunc consequeretur, & existeret, quando sacerdotes, & aliæ sacræ personæ à laicis tanquã a superioribus, & in eis potestatem habentibus iudicarentur, nunis vtiq. de honestate dignitatis sacerdotalis detraheretur, si Episcopus qui in spiritualibus iudicat prætorem, ipse e diuerso à prætore in temporalibus iudicaretur, quia magna fieret confusio potestatum, fororum, & gubernationis publicæ, cum certissimo & summo Christianorum omnium scandalo. quod animaduertens Franciscus à Victoria relect. de potestate Ecclesiæ quæst. Verum

Eccleſiaſtici ſint exempti a poteſtate ciuili, propoſ. 5. coactus eſt dicere; videtur neceſſarium ad adminiſtrationem rerum ſpiritualiũ quod perſonæ Eccleſiaſticę ſint exemptæ à iudicio ciuili; quod autem ſit neceſſaria talis exemptio patet, quia ſi miniſtri Eccleſiæ poſſent trahi ad iudicium ſeculare, poſſent auocari à miniſterio Eccleſiæ, & non poſſent commode vacare officio ſuo, hæc ibi Victoria, vt tale abſurdum confuſionis fororũ remoueret. Id ipſum, & clarius docet Dominicus à Soto dicens, abſurda enim eſſet, & nimia confuſio ſi Epiſcopi, qui Principes in ſpiritualibus habent iudicare ab ipſis ſecularibus iudicarentur: plurimum enim inde Eccleſiaſtica authoritas tum obſcuritatis, tum detrimenti contraheret. qua vtique de cauſa Apoſt. 1. Cor. 6. Chriſtianos interdictos curauit, ne apud ethnicos cauſas ſuas tractarent: hæc Sotus, vt igitur hoc maximum inconueniens, & abſurdum remouendum à foro Eccleſiaſtico iudicaretur. Clemens, ſeu Petrus per Clementem, dixit verba illa. Nihil iniuſtius, & inhoneſtius eſt, &c. ab illo antiquiſſimo tempore exorientis Eccleſiæ. Supra n. 5.

Ratio autem, & argumentum ab abſurdo euitando ad interpretationem cuiuſcunque diſpoſitionis eſt vrgentiſſimum, & ſemper concludens neceſſario, quinimo vt Panor. docet in c. ioruſlũ, de rer. perm. etiam ſi nulla allegetur authoritas, talis ratio ab abſurdo euitando de neceſſitate Concluſionem ſuam conficit. quia argumentum hoc ſumitur à diſcretione naturali, & ideo pro euitanda abſurditate, reſtringenda eſt omnis iuris quæcunque diſpoſitio. tex. pro hac veritate clarus, & notus habetur in l. 2. C. de noxa. act. & in l. vt gradatim, §. 1. ff. de muneribus. per vim ergo argumenti ab abſurdo euitando, de neceſſitate concluditur, quod cum de iure diuino ſcripto atque expreſſo, Epiſcopi, & ſacerdotes, & Miniſtri Sacramentorum ſint à Deo conſtituti magiſtri, atque doctores in rebus concernentibus ſalutem animarum, omnium Chriſtianorum tam popularium, quam etiam Principum, de eodem diuino iure virtuali, & per neceſſariam conſequentiam deducto, Omnes Epiſcopi, ſacerdotes, & Eccleſiaſticæ perſonę ſunt immunes, & liberæ ab omni ſubiectione Principum ſecularium quorumcunque, quia ſecus abſurdum, & vt Clemens inquit ex Petro iniuſtum, & inhoneſtum cõſequeretur, quod impoſſibile eſt conceſſum in lege, & præceptis Dei, qui prima ſumma, & increata eſt rectitudo. In huius vrgentiſſimæ rationis corroborationem Gregorius Papa VII in epiſtola ad Hermannum Metenſem Epiſcopum, vt ſuperius, num. 17. ſuo loco recenſuimus, admiratus Principum ſecularium auſus contra diuinam hanc rectiſſimã ordinationem de immunitate ſacerdotum, exclamat dicens: Quis dubitet ſacerdotes Chriſti, Regum, Principum, omniumque fidelium patres, & magi-

K ſtros

stros censeri? nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur si filios patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere? Quod enim Clemens dixit iniustum, & inhonestum, Gregorius dixit esse miserabilem insaniam, quod in lege, & ordinatione diuina admittere summa blasphemia est.

Secunda ratio sumitur specialius ab Episcoporum, & sacerdotum magisterio, quo funguntur super omnes fideles tam Principes quam populares hanc rationẽ proponit Clemens Papa I. in epistola 3. ad omnes Episcopos dicens. Sacerdotes legatione Dei funguntur, & omnes tam Principes, quam populos instruunt. huic proposi-
Sup. nu. 5. tioni, suam affert Thelesphorus Papa consequentiam in epistola ad omnes fideles dicens: quia à quibus se, dum populus benedici, saluari, & instrui cupit, nullatenus debet eos arguere, nec vulgus in eorum accusatione suscipi, populus enim ab eis docendus est, & corripiendus, non ipsi ab eo, quia non est discipulus super magistrum. Et obiectioni quæ fieret in casu quando sacerdotes peccauerint. Respondet, atque concludit Pontianus Papa epi-
Sup. n. 10. stola ad Felicem Subtibonum hoc pacto dicens. Hi ergo si forte ceciderint à fidelibus sunt subleuãdi, & portãdi, si peccauerint à reliquis arguuntur sacerdotibus, sed à Summis Pontificibus constringuntur, & non à secularibus, Conclusionem istius irrefragabilis argumenti confirmat Sanctus Ciprianus epistola 6. ad Magnum l. 1. dicens, Cuilibet seculari tam Principi, quam populari. Tu autem ouis es, noli discutere pastorem, ne eius quoque criminis reus tenearis, noli te iudicem Dei constituere, & Christi, qui dicit ad Apostolos, & per hoc ad omnes præpositos, qui vicaria illis ordinatione succedunt, qui vos audit me audit, & qui me audit audit eum, qui misit me. Vnde enim hæreses, & schismata obortæ sunt, & oriuntur, nisi dum Episcopus qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo, Dei dignatione honoratus, ab indignis hominibus iudicatur?

Hac vtique ratione sumpta à magisterio sacerdotum super omnes fideles, quæ nimirum fundatur in verbo illo Domini Matth. 10. *Non est discipulus super magistrum*. irrefragabiliter demonstratur, quod Episcopi, & sacerdotes, qui ex Dei sibi præstito munere, docere, & instruere habent omnes seculares fideles in his, quæ spectant ad animarum suarum salutem (quod suapte natura quoddpiam magnum est) non possunt argui, & iudicari à secularibus principibus in his quæ spectant ad ciuilem gubernationem, quod suapte natura minus est. Nam Iulius Papæ I. assignans rationem quare seculares non possunt iudicare sacerdotes, inquit. quia rarum est omne, quod magnum est, totum hoc argumentum corrobo-

ratur

ratur illuſtriſſima illa Innocentij PP. III. ſententia ad Imperatorẽ ſcilicet. Preterea noſſe debueras, quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cęli, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, vtrunque magnum, ſed alterum maius, ad firmamentum igitur cęli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo magna luminaria, ideſt duas inſtituit dignitates, quę ſunt Pontificalis authoritas, & Regalis poteſtas, ſed illa quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus maior eſt, quæ vero carnalibus minor, vt quanta eſt inter ſolem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur. c. ſolitæ, de maio. & ob.

Tertia ratio ſumitur à dignitate, & præeminentia ſumma ſacerdotij nouæ legis, ſuper ſacerdotia legis naturæ, & Moyſi. Eo quod ſacerdotes Euangelici ore proprio Corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. hanc rationem affert Theleſphorus Papa in epiſtola ad omnes fideles, dicens. Ipſi enim qui proprio ore Corpus Domini conficiunt ab omnibus ſunt audiendi, obediendi, atque timendi, & nõ dilacerãdi, aut detrahendi, quia à quibus ſe dum populus benedici, ſaluari, & inſtrui cupit, nullatenus debet eos arguere, nec vulgus in eorum accuſatione ſuſcipi, Populus enim ab eis docendus eſt, & corripiendus, non ipſi ab eo, quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Pontianus Papa I. eandem proponit rationem dicens, ipſi quoque proprio ore Corpus Domini conficiunt, Zacc. & populis tradunt, de illis enim dictum, *Qui vos contriſtabit, me contriſtabit, & qui vobis facit iniuriam, recipiet id, quod inique geſſit*, in eis quoque dominus honoratur, cuius legatione funguntur. Hi ergo ſi forte ceciderint à fidelibus ſunt ſubleuãdi, & portandi, ſi peccauerint, à reliquis arguũtur ſacerdotibus, ſed à Summis Pontificibus conſtringuntur, & nõ à ſecularibus. Argumentũ hoc ſic conficitur ex ſuo antecedente, & conſequente, Sacerdotes Euangelici, tantæ ſunt dignitatis, & præeminentiæ ſuper oẽs ſacerdotes antiquiſſimos, tam legis naturæ, quam legis Moyſacæ, quod proprio ore corpus verum, & verum ſanguinem Chriſti Domini noſtri conficiunt, & cæteris fidelibus ſumendum tradunt, ipſumque Chriſtum interuente in ſacro altari quotidie ſacrificant, & offerunt Deo patri omnipotenti, ergo ſi peccauerint, vt homines, non poſſunt argui niſi ab alijs ſacerdotibus, & ab Epiſcopis ſolummodo puniri, & non à iudicibus, ſeu principibus ſecularibus; Conſequentia hęc comprobatur, quia ex eo, quod Corpus Domini proprio ore conficiunt, dignitatis præcellentia, ſuperant omnes Angelicas poteſtates ſpiritusque cęleſtes, quia iuxta Apoſtolum ad heb 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Sacerdotes vero ſunt coadiutores ipſius Dei ad ſaluandum electos, propter quam dignitatem appellati ſunt Dij, non eo gene

tali modo quo omnes fideles vocantur filij Dei, & Dij, iuxta illud Matthæi 6. *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur*, & illud psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*, sed modo specialiori, quo nempe
Exod. 7. Moyses factus est Deus Pharaonis, hoc est superior, & iudex ex diuina ordinatione, & iuxta illud ps. 81. *Deus stetit in Synagoga deorum in medio autem Deos discernit*, quamobrē, sicuti Moyses tunc, postquā à Deo electus est, & legatione diuina donatus, nō potuit iudicari à Pharaone, ita & sacerdotes donati diuinitus sacerdotali charactere, & potestate conficiendi Corpus Domini, & sic effecti Dij omnium secularium, iudicari non possunt nisi à vero Deo, & similibus Dijs, scilicet superioribus sacerdotibus qui sunt Pontifices. Vim probationis istius persentiens Magnus Constantinus Augustus, eandem scripturæ sacræ authoritatem adduxit in Concilio gene-
Ex Ruffini hist. l. 1 c. 2. rali Niceno, quando libelli causarum in inuicem ab Episcopis sibi fuerunt allati dicens. Vos enim nobis à Deo dati estis Dij, conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est. *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos discernit*. Et cum hoc dixisset omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli odium, & sugillatio sacerdotum, eandem antea psalmistæ authoritatem tempore Antonini Veri, ad cōprobandum sacerdotum exemptionem adduxit Pius Papa I. martyr gloriosissimus dicens. Ipso domino exemplum dante quando
Ep. in serie num. 6. per seipsum, & non alium vendentes sacerdotes, & ementes eiecit de templo, & mensas nūmulariorum proprio euertit flagello, & eiecit de templo, & sicut alibi per Prophetam loquitur dicens. *Deus stetit in Synagoga deorum in medio autem Deos discernit*.

Quarta ratio desumitur à diuersa conuersatione clericorum à conuersatione laicorum: hanc rationem proponit Eusebius Papa
num. 15. dicens. Quia eiusdem non sunt conuersationis, & oppido eis quidem infesti existunt, qui proprie cum vita eorum, & conuersatio debeat esse secreta, & à laicorum actibus remota, nec ab his impeti debeant, quorum castitatem, & grauitatem nolunt imitari, maxime, cū nec hi eos in his valeāt recipere accusationibus. Iulius Papa addit ex Nicęna synodo statutum est, vt nemo anathematizatus in nostra suscipiatur accusatione, nec illi qui nos in suam nolūt recipere accusationem, cum nos super illos sciamus à domino constitutos, non illos super nos, & sicut maior non potest à minori iudicari, ita nec obligari, quia rarum est omne quod magnum est. Damasus addit, vt antiqua tradit authoritas sacerdotes criminari non possunt, neque in eus testificari qui ad eundem non debent
num. 18. nec possunt proueli honorem. Gelasius Papa addit, quomodo de his per quos diuina ministrantur iudicare præsumunt? Argumentum hoc pacto formabitur. Clerici ex ipsa institutione diuina

sunt

ſunt diuerſæ conuerſationis à conuerſatione laicorũ, atqui diuerſa conuerſatio diuerſam requirit legẽ gubernatiuam, ergo clerici non debent à Principibus, & iudicibus ſecularibus gubernari, nec ſecundum leges ciuiles, & poteſtatem laicam iudicari, maior argumenti propoſitio non eget probatione, quia per ſe manifeſta eſt ex ipſa inſtitutione diuina, quę ſicuti miniſtros Eccleſię per ſacram ordinationem ſecernit ab omnibus aliis fidelibus laicis, ita conſtituit diuerſam conuerſationis legem, minor propoſitio probatur, per inſignem illam maximam Apoſtoli ad heb. 7. *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt & vt legis tranſlatio fiat*, quam ſic dilucide admodum Diuus Thomas exponit in ſuis commentariis ſuper epiſtola ad heb. dicens. Erat enim lex ſub adminiſtratione ſacerdotii, ergo mutato ſacerdotio neceſſe eſt quod lex mutetur, & huius ratio eſt, quia mutato fine, neceſſe eſt, quod mutentur ea, quæ ſunt ad finẽ, ſicut qui mutat propoſitum eundi per aquam, mutat propoſitum quærendi nauem, omnis autem lex ordinatur ad conuerſationem humanam, ſecundum aliquod regimen. Vnde ſecundum Philoſophum in polit. mutata conuerſatione, neceſſe eſt mutari legem, ſicut autem lex humana ordinatur ad regimen humanum, ita ſpiritualis, & diuina ad regimen diuinum, hoc autem regimen deſignatur per ſacerdotium, tranſlato ergo ſacerdotio neceſſe eſt transferri legem, hæc ibi Thom. Sed lex illa Moyſi ſicuti in ceremonialibus, ita, & in omnibus iudicialibus trãſlata eſt in legem libertatis 1. 2. q. 103. art. 3. & q. 104. ar. 4. Euangelicæ, lex autem illa Moyſi permiſit aliquando ſacerdotes iudicari à Regibus, vt euenit tempore Dauid, & Salomonis, eo quod de iure expreſſo non fuit prohibitum, facta aũt tranſlatione in legẽ libertatis Euangelicæ, ob dignitatem ſacerdotii Euangelici in quod tranſlatum eſt illud legale, ſublata eſt neceſſario, & illa legis illius permiſſio, ſub qua ſacerdotes iudicabantur à Regibus, & mutata in diuerſum, quemadmodum de ſui natura diuerſa conuerſatio clericorum à conuerſatione laicorum, ita vt ſacerdotes ſine iudices, & à Regibus non poſſint amplius iudicari quemadmodum rectiſſime Theleſphorus, & Pontianus Summi Pontifices, & glorioſiſſimi martyres ſumpto argumento à dignitate, & præeminentia Euangelicorum ſacerdotum, qui proprio ore Corpus Domini conficiunt, & ſacrificant, & offerunt, de neceſſaria conſequentia inferunt, & inferri docent ſemper.

Quinta ratio excipitur à peculiari Dei familia, eo quod ſacerdotes ex diuina inſtitutione ſunt familiares Dei, & in ipſius domini peculiarem aſciti familiam, rationem iſtam affert Pontianus Papa dicens. De ſacerdotibus aũt dñi, quos vos audiuimus contra prauorũ hominum inſidias adiuuare, eorumque cauſas portare, ſcitote vos valde Deo placere, qui ſibi eos ad ſeruiendum aſciuit, & fa-

milia-

miliares in tantum sibi esse voluit, vt etiam aliorum hostias per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, sibique reconciliaret. Et Fabianus Papa superaddens eidem rationi in epistola 2. ad omnes orientales inquit, Ideo hæc præmisimus, vt cognoscatur ab his quibus incognitum est, quod sacerdotes, quos dominus sibi de omnibus asciuit, & suos esse voluit, non sunt leuiter tractandi, nec seuere, aut reprehendendi, nisi à suis magistris, quoniam eorum causas sibi dominus reseruare voluit suo iudicio iudicari. Argumentum sic formatur. Illi qui sunt de peculiari familia Dei, & ad cælestem militiā scripti, forum speciale, atque diuinum sortiuntur, separatum à tribunali & foro hominum, & Principum secularium, ergo a Principibus secularibus iudicari in nulla possunt causa tanquam diuinitus exempti, & spectantes ad alterum tribunal, & forum, etenim forum sortiri, & statutis ligati patria sunt, DD. in l. omnes populi, ff. de iust. & iur. & c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. Probatio huius totius argumenti desumitur ab axiomate illo Pauli Apostoli 1. cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*. quod & 2. cor. 5. amplians inquit. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum exposuit in nobis verbum reconciliationis, pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo*. Ex hac Apostoli proposita, & ampliata sententia constat sacerdotes de ipsa institutione diuina esse ministros Dei, legatos, familiares, & milites: omnes autem qui sunt ministri Principis de ipsius familia, & milites ascripti, gaudent priuilegio exemptionis ipsius Principis, quia vt inquit Damasus Papa, causæ sacerdotum, Dei causæ sunt, & ideo eius sunt iudicio reseruandæ, qui valet corpus occidere, & animam mittere in gehennam. Quamobrem sicut in familiares Principis, & milites suæ armatæ militiæ non est licita manuum iniectio per rectorem Prouinciæ, sed suo iudicio relinquitur l. 2. cum sua gloss. C. vbi quis, de curiali, vel cohort. ita nec in familiarem Dei, & militem cælestis militiæ, vt est omnis sacerdos, & altaris minister. parificantur enim istæ duæ militiæ, quo ad vocationem in ius l. 2. cum sua gloss. ff. de in ius voc. ergo sacerdotes, omnesque clerici, qui in sortē Dei dicūtur vocati dist. 21. c. cleros. tanquā de ipsius Dei familia, & de cælesti militia nullo pacto possunt iudicialiter cognosci per iudicem secularem. Estque in hac argumenti probatione animaduertendum, quod hæc exemptio sacerdotum, aliorumque diuini cultus ministrorum, ostenditur esse de iure diuino peculiari, & priuilegiali, non de iure communi. *Ex quo innuitur*, quod licet de iure diuino cuiuscunque temporis tam legis nostræ, quam Moysi, non appareat expresse sacerdotes, & Ministros Dei, esse exemptos à

iurisdi-

iuriſdictione Regum, & Principum ſecularium, attamen per hanc illationem concluditur exemptos eſſe ex ſpeciali Dei priuilegio. hinc clariſſime omnes diluuntur obiectiones, quæ fieri ſolent, & poſſent ab exemplis antiquæ legis, eo quia lex antiquiſſima naturæ atque Moyſi, ſacerdotes non efficiebat exemptos, niſi quando cõtigit ſacerdotes eſſe ſimul & Reges, ſicuti fuerunt Melchiſedech, Moyſes, Samuel, & aliqui alij, vt in libris Regum. Etenim lex Sacroſancta Euangelica ex Dei priuilegio ſpeciali ſacerdotes ipſos omneſque ſacratiſſimi altaris miniſtros ab omnium ſecularium Principum poteſtate facit immunes, quemadmodum ſuo argumento rectiſſime inferunt, & concludere docent Pontianus, & Fabianus Pontifices Summi, & martyres glorioſiſſimi. Corroboratur totum eo, quia miniſtros ſacros de ipſius Dei familia, & milites cæleſtis militiæ non decet eſſe minoris fauoris, & conditionis, quam ſunt familiares, & milites Principum ſecularium, nam ſi locus à milite armatæ militiæ, ad militem cæleſtis militiæ, qualis eſt clericus, ſacerdos, Epiſcopus, quando eadem ſubeſt ratio, rectiſſime concludit vti communiſſima docet iuriſconſultorum ſententia, & hoc ſtando in priuilegijs iuris humani, atq. Cæſarei, quanto magis irrefragabiliter concludet ſtando in priuilegijs iuris Euangelici, vti præfati Pontifices Sanctiſſimi recte concludendo demonſtrant?

Sexta ratio capitur à poteſtate Clauium remittendi, & retinendi peccata in foro conſcientiæ, & ligandi, atque ſoluendi fideles in terra, & in cœlis in foro iudicij Rationem hanc primo proponit Melchiades Papa, & martyr in epiſtola ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos dicens. Epiſcopos quos ſibi dominus tanquam oculos elegit, & columnas Eccleſiæ eſſe voluit, quibus etiam ligandi, & ſoluendi dedit poteſtatem ſuo iudicio reſeruauit, hocque priuilegio Beato Clauigero Petro, ſua vice ſolummodo commiſit, deinde quod Dei ordinatione taliter ordinatum eſſe credimus. Deinde Gregorius VII. ſuo tempore in epiſtola ad Hermannum Metenſem ſuperaddidit dicens, nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere, a quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis ligari poſſe, & ſolui? ratio hæc vrgentiſſima ſiquidem, fundatur in expreſſis Sacri Euangelij verbis Matthæi 18. *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis ſuper terrã, erunt ligata, & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta, & in cœlo*, & Io. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt*. hoc pacto formabitur argumentum. Sacerdotes de inſtitutione diuina conſtituti ſunt iudices ſuper omnes fideles pro remiſſione, & retentione peccatorum in Sacramentali confeſſione per clauem ordinis

ſibi

sibi diuinitus collatam, & *Episcopi* quoque iudices constituti sunt super omnes fideles in causis peccatorum, pro soluendis, & ligandis peccatoribus in actione iudiciali per clauem iurisdictionis ab ipso domino sibi traditam. *Ergo* nullo prorsus pacto ijdem iudices spirituales sacerdotes, & Episcopi in causis delictorum criminalibus possunt esse subiecti populis, vel Principibus secularibus. Consequentia ista manifestissime comprobatur, quia tribunal hoc iudicum spiritualium in causis animarum maius superius, & excellentius est tribunali omni causarum ciuilium quorumcunque Principum secularium, & tanta exuperat excellentia, quanta Spiritus præstat corpori. Atque nulla sustinere valet ratio, vt id, quod maius superiusque, ac præstantius est subijciatur illi, quod prorsus de sui natura minus est, & inferius, ergo, &c. Huiusce probationis vi, ac potestate legimus Gregorium Nazianzenum redarguisse Præsidem irascentem, ad quem scripsit dicens. Suscipitis ne libertatem verbi? libenter accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos potestati subijcit, atque istis tribunalibus subdit? dedit enim, & nobis potestatem, dedit, & principatum multo præstantiorem principatibus vestris, aut nunquid iustum vobis videtur, si cedat Spiritus carni, si a terrenis cælestia superentur? & si diuinis præferantur humana? Ad hæc Reges omnes Imperatores, & Principes quicunque Christiani genuflexi, procumbunt coram suis confessarijs sacerdotibus, tanquam Deo, qui sacerdotes tanto donauit munere, & ministerio in pœnitentiæ Sacramento, nullo igitur pacto cogitandum est, sacerdotes in causis publicis criminum licite posse genuflecti coram iudice laico in illos sententiam ferente, sicuti oporteret, si secularibus iudicibus essent subiecti, hoc ipsum inconueniens liberrime contestatus est idem qui supra Gregorius Nazianzenus Imperatori Theodosio dicens. Scio te ouem gregis mei à Christo Summo pastore traditam, & à Spiritusancto signatam, & noui te inter sacra altaria prouolutum genibus sacerdotum meorum, hoc ipsum quoque inconueniens ferre non valens Gregorius Papa VII. (quod repetere est opere precium) demiratus, & exclamans inquit, Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur suæ potestati subijcere eum, à quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis ligari posse, & solui?

Orat. in S. Pasch.

CONCLVSIO NONA.

OMnia sacræ Scripturæ loca noui testamenti quæ extrinseco verborum sono videntur al quo modo innuere, omnes personas tam laicas quã Ecclesiasticas iure diuino subditas esse secularibus

Iuribus principibus, & magiſtratibus, ſicuti inter cætera principaliter eſt locus ille Apoſtoli, epiſtolæ ad Rom. cap. 13. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit &c.* vſque ad illa verba, *propter conſcientiam, & cui honorem honorem*; & locus ille Io. 19. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam niſi tibi datum eſſet deſuper*; ac ille alius Act. 25. *Ad tribunal Cæſaris ſto vbi me oportet iudicari, &c. ad Cæſarem appello.* Et ſi quæ ſunt alia ſacræ ſcripturæ huiuſcemodi loca, ita oportet intelligi, nec ſecus interpretari, vt non aduerſentur Dei ordinationi, & præcepto, per Apoſtolorum traditionem, & Patrum pronunciato, & per ſententias, & decreta tot ſanctiſſimorum Pontificum, martyrum, & Confeſſorum; diſpoſito, & publicato, pro cõſtituta, & ſtabilita immunitate perſonar. in Eccleſiaſticarum à Principum ſecularium iuriſdictione: alioquin tam in ipſa eadem Eccleſiæ vniuerſalis diſciplina, quàm inter ſacram ſcripturam, & Apoſtolorum traditiones perpetuas, eſſet neceſſarium admittere contradictionem, & repugnantiã; quod abſurdum totum fidei catholicæ fundamentum facile deſtrueret: à quo nemo qui fidem Chriſtianam profitetur, vllo vnquam prorſus pacto admittendum, nec leuiter ſuſpicandum. Quod autem reuera nulla poſſit eſſe inter traditionem Apoſtolicam, & ſacram ſcripturam repugnantia, ſed omnimoda concordia, & conuenientia docet Baſilius Magnus dicens. Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex traditione Apoſtolorum in myſterio occulto recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec ab his quiſque contradicit, qui ſane, vel tenuiter expertus eſt. nam ſi conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam non multum habentes momenti conemur reijcere, & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur. imo potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. hæc omnia Baſilius, in quibus, dum dicit quod nec in ſuis quiſquam contradicit, qui ſane vel tenuiter expertus eſt. idem eſt ac ſi dicat, quod quilibet verus fidelis qui ſanam fidem tenet, etiam quod leuiter in rebus fidei ſit inſtructus, per ipſam facti experientiam comperiet, & confitebitur nullam inter traditionem Apoſtolorum, & diuinam ſcripturam haberi poſſe repugnantiam, ſed omnem prorſus in omnibus eſſe concordiã. Quinimo eſſerendum venit inter traditionem, & ſcripturam, hanc eſſe dependentiam, quod traditio non ſit moderãda per ipſas ſcripturas, ſed potius è diuerſo ſcripturæ ipſæ intelligendæ ſunt ſecundum ſenſum, quem affert ipſa Apoſtolorum, & Patrum traditio. Etenim vt ſcribit Hieron. in 1. cap. epiſt. ad Galat. lex Euangelica non in ſcripturis eſt, ſed in ſenſu. non in ſuperficie, ſed in medulla: non in verborum folijs, ſed in radice ra-

Lib. de Spiritu S. c. 27.

tronis. Ex hac Hieronymi docta, & firma sententia, ab illa certa Pauli Apost. 1. ad Cor. 3 deprompta. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non littera, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem uiuificat.* hæc certissima colligitur resolutio. Modum nullum haberi certiorem, nullum stabiliorem, nullum denique sacris litteris exponendis magis consentaneum, quam eum quo Ecclesiæ traditio continetur. Cum igitur doceat experientia, quod in sacris libris loca reperiantur non pauca, in quibus tanta obscuritas inest, & difficultas, vt post multorum interpretum studia adhuc vix à doctoribus, & uiris doctissimis, & in intelligẽdis eisdẽ sacris libris versatissimis, possunt exacte intelligi: necessarium est dum locus aliquis assumitur in controuersiam, ter ad determinandum necessario recurrere ad intelligentiam illius loci, quæ ex Apostolorum, & Patrum traditione, valeat obtineri, nec alium vtique modum Petrus Apostolus docet suscipiendum ad veram intelligentiam habendam locorum difficilium, quæ in Paulinis epistolis reperiuntur,
a Petri 3. dicens, *sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres præscientes custodite ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate.* Sed, quid est nos custodire ne excidamus à propria firmitate, quando casus euenit controuersiæ ex aliquo Pauli Apostoli loco, contento in aliqua suarum epistolarum, nisi relicto cortice litteræ a seditiosis contractæ ad suam ipsorum perditionem, eundem locum difficilem Pauli interpretari secundum Apostolorum, & Patrum traditionem? Ecce igitur locus Apostoli hodie controuersus, qui continetur in epistola ad Rom. cap. 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, &c.* Apparet enim, quod per hæc verba Apostolus dicat, quod ex ipsius Dei ordinatione sit, vt omnis anima sit subdita sublimioribus potestatibus, illis inquam quæ gladium portant ad vindictam malefactorũ, laudem vero bonorum, & quibus tributa præstantur, quæ non possunt intelligi esse, nisi potestates Principum secularium, & dum Apostolus dicit, quod omnis anima, sine videlicet aliqua hominum exceptione, apparet dicere voluisse, quod omnes tam laici, quam etiam Ecclesiastici ex eadem diuina ordinatione Principibus secularibus debeant esse subiecti, at traditio hæc ab ipsis Apostolis eorum temporibus per tot Summos Pontifices gloriosos martyres, & Confessores habita in Ecclesia Catholica: Quod nimirum personæ Ecclesiasticæ diuinis ministerijs dicatæ ex ipsa Dei ordinatione, & præcepto sint exemptæ a iurisdictione Principum, & magistratuum secularium in causis quibuscunque tam ciuilibus, quam crimi-

nalibus

nullibus, tamen difficile erit ipſum concludi. Vt igitur omnis contradictio omneque abſurdum in præceptis verbiſque Apoſtoli nulla ratione curretur (quod neceſſarium eſt omnino) ſenſus verborum ad Rom. rei proportionatus, aptus, atque conformis, reducendus eſt ad ſenſum conformem traditioni Apoſtolorum, & Patrum, vt non negetur immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum a poteſtate Principum ſecularium, quam bene ſciebat Apoſtolus, quod in Eccleſia introducenda erat ex Dei ordinatione per Apoſtolorum traditionem pro tempore conceſſæ pacis, & quietis, quæ habita eſt poſtea tempore Conſtantini Magni Augusti; Quis tamen ſit ſenſus hic conformis traditioni pro immunitate Eccleſiaſticæ, eruendus venit neceſſario ex ipſa cauſa dicendi iuxta regulã Hilarij li. de trinit. 4. quæ quoque de verborum ſignif. cap. 6. tranſcribitur; videlicet. Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei ſermo ſubiectus eſt. cauſa autem Apoſtoli ſcribendi illa verba ad Rom. vt poſt Hieronymum, Chriſoſtomum, Theophilactum, & alios antiquiſſimos Patres dicit Anſelmus ea fuit. redarguere ſcilicet illos, qui poſtquam erant ad fidem conuerſi nolebant ſubijci alicui poteſtati, Videbatur enim, quod infideles, Dei fidelibus non deberent dominari, & ſi fideles deberent eſſe pares: quam ſuperbiam remouet Apoſtolus dicens. *Omnis anima* (id eſt omnis homo) *ſit humiliter ſubdita poteſtatibus, vel ſecularibus, vel Eccleſiaſticis ſublimioribus*; hoc eſt omnis homo ſit ſubiectus ſuperpoſitis ſibi poteſtatibus. hæc Anſelmus. Cum igitur hæc fuerit cauſa Apoſtolo ſcribendi verba iſta ad Rom. & hic ſit ſpecialis verborum Apoſtoli finis, redarguere, & humiliare ſuperbos illos nouos Chriſtianos qui dicebant, quod ex libertate Chriſtiana habita in baptiſmo nulli deberent eſſe ſubiecti; Verborum omnium Apoſtoli intelligentia ducenda eſt ad ſuum eundem finem, vt nil aliud Apoſtolus per illa verba voluerit Romanis illis, & omnibus conſequenter Chriſticolis indicare, niſi quod Chriſtus Dominus ſuo baptiſmate, & Euangelio, non ſuſtulit ordinem politicum ſubditorum ad poteſtates ſuperiores: qui ſiquidem ordo fuit ab ipſo Deo inſtitutus iure naturæ Quem errorem, vt inquit Hieronymus ſuper c. 3. ad Hebr. & ante eum Ioſephus, lib. 18. antiquitatum, Quidam Iudas Galilæus excitauerat conſentientibus tunc Phariſæis quartæ ſectæ Iudæorum circa libertatem, & quaſi probabilem proferebant ex lege. Nullum debere Dominum, niſi ſolum Deum vocari, & haberi, quem errorem ſuo tempore ſuſcitarunt poſtea Beguardi hæretici, & Beguinæ, temere affirmantes eum, qui perfectionis gradum in præſenti vita aſcenſus fuiſſet, nullis humanis conſtitutionibus, nulliſque poteſtatibus obligatum

Enarr. in epiſtola ad Ro. c. 13.

fore quem Paulus a suo tempore elidit de industria dicens. *Omnis anima, &c.* Sed neque aliud indicare intendit Chrisostomus super eundem locum Pauli cum dixit, etiam si Apostolus sit, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis tandem fueris: neque enim pietatem subuertit ista subiectio: & Theophilactus eum dicit vniuersos erudit, siue sacerdos sit ille, siue monachus; intelligendi sunt quasi dicat, hęc est vera intelligentia verborum Apostoli, quod virtute Baptismi, & libertatis Euangelicę, nulla quãtauis præeminentia polleat Apostolatus, Euangelistatus, Prophetiæ, Sacerdotij, monachatus, quis liber factus est a subiectione, quam de iure diuino naturali debet suis sublimioribus potestatibus, vel secularibus, vel Ecclesiasticis, hoc est personæ Ecclesiasticæ potestatibus Ecclesiasticis, & seculares secularibus, secundum sua distincta tribunalia, quamobrem dictũ Apostoli istud, *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, vt Catharinus Senensis exponens litteram ex ipsa causa dicit: Intelligendũ est cum prudentia, vt quæuis anima illi obediat, quem sibi cognoscit, vel agnoscere debet habere super se legitimam potestatem. Interim ante pacem Ecclesiæ, ne infideles scandalum sumerent: omnes etiam Ecclesiastici sint subditi principibus secularibus infidelibus. Hunc eundem genuinum sensum verborum Pauli eruit Cornelius Episcopus Bitontinus, in suo elegantissimo commentario super Epist. ad Rom. & c. 13. dicens: Reuertamur ergo ad Paulum de potestatibus secularibus disserentem. Eo enim tempore Summi Pontificis dignitas Romanorum tirannide delitescebat, delituitque semper vsque ad Constantini tempora, qui diuino afflatus numine summum agnouit sacerdotium suapte natura præcellere Reges, &c. Hic vtique sensus Pauli pro tempore tunc currente sub tyrannide Principum infidelium in Vrbe Roma liquido confirmatur per factum illud, & verba illa Domini Matth. 17. *Vt non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, &c. inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* Etenim pro illo tempore, quo imperabant tyranni Romani infideles, ne scandalizarentur libenter pertulit, vt pro se soluerent tributum, ad quod soluendum non tenebatur, cum sit filius Dei, Rex Regum, & dominus dominantium. Ita ergo & Paulus suadet fidelibus omnibus tunc Romæ degentibus, vt pro eo tempore ne scandalum sumerent infideles Principes, ipsis eisdẽ se subiectos tolerarent; Deo sic præcipiente.

Verum, vt omnis amoueatur dubitationis suspicio super hac verborum Apostoli ad Rom: 13. interpretatione sic habita, facienda est comparatio eorum verborum quæ prius scripserat 1. ad Cor. cap. 6. & 1. ad Thimot: cap. 3. cum his verbis ad Rom: & hoc secundum rationem temporis, quo scriptæ fuerunt Paulinæ epi-

ex epiſtolæ, nam iuxta regulam, quam dat Chriſoſtomus hom. 8. in epiſtola Pauli ad Rom. videlicet. epiſtolæ Pauli quo tempore ſcriptæ ſunt, & quæ prius, & quæ poſterius, noſſe multum confert ad quæſtiones explicandas. Epiſtola autem, quæ ſcriptæ ſunt ad Chorin. & quæ ad Thim. prius fuere ſcriptæ quam epiſtola ad Rom. vt conſtat ex contentis in eiſdem epiſtolis. Quamobrem verba quæ poſtea ſcripſit ad Rom. interpretanda ſunt taliter, vt nullo pacto aduerſari videantur verbis, & ſententijs quæ ſcripſerat antea, tam ad Cor. quam ad Thim: Verba autem, quæ ad Cor. Apoſtolus ſcripſit hæc ſunt, *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis quoniam Sancti de mundo iudicabunt, & ſi in vobis iudicabitur mundus indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia?* Hæc Apoſtolus ad Cor. in quibus verbis, vt ipſa clara, & manifeſta ſignificat litteræ Apoſtolus prohibet fideles deferre cauſas iudiciorum quorumcunque ad Principes, & Iudices infideles; qui tunc temporis Chorinthi præſidebant. In epiſtola vero ad Rom. ſcribit hæc verba, *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, &c.* Loquens de poteſtatibus ſecularibus, vt patet ex ipſius litteræ contextu. ſed poteſtates ſublimiores illæ tunc erant ſolum apud infideles, tyrannos, Idololatras ſicuti eo tempore imperabat Nero immaniſſimus tyrannus, & magiſtratus Rom. populi, iudicum infidelium, quod probe nouerat Apoſtolus. Age ſiue comparato verborum ad Cor. ad verba ſcripta ad Rom. Ecce conſtat, quod Corinthijs præcipit non deferre ſuas cauſas ad iudices, & magiſtratus infideles, at Romanis præcipit cauſas ſuas deferre ad poteſtates laicas dum dicit, fideles omnes debere de iure eſſe ſubditos ſublimioribus poteſtatibus quæ Romæ erant laici infideles, hæc ambo ſunt manifeſte oppoſita contradictorie non debere ſubdi infidelibus iudicibus, vt ad Cor. & debere eſſe ſubditos infidelibus poteſtatibus, vt ad Rom. Dicite amabò, nunquid Paulus ſibi ipſi contradicit? quin potius ipſemet Deus Spiritus ſanctus locutus in Paulo contraria præcipiet? Vnum Chorinthijs, & aliud oppoſitumque Romanis? Abſit, abſit, ſumma impietas eſt hoc cogitare; *Quia ſemel loquitur Deus, & ſecundo idipſum non repetit, & non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet, locutus eſt, & non implebit?* Cauendum eſt, vt inquit Auguſt. lib. 5. de Gen. ad litteram, cap. 8. ſentire, ne aliqua abſurditas putetur eſſe in ſcripturis ſacris, quæ opinionem lectoris offendat, ſed illud, quod Apoſtolus Spiritu ſancto dictante ſcripſerat ad Cor. prius fuit ſcriptum, ergo illud, quod poſtea ſcripſit ad Rom. tali ſenſu intelligendum eſt omnino, vt non aduerſetur illi.

cap 6.

Iob 33.
Num 23.

illi, quod prius scripserat ad Cor: sed omnino concordet. Idcirco conclusum relinquitur, quod Apostolus scribens ad Rom: 13. verba illa. *Omnis anima, &c.* voluit omnino intelligi, vt non aduersentur verbis, quæ prius scripserat ad Corinth. sed conformiter ad traditionem Apostolorum, vt dictum est, statuit manifeste, quod personæ Ecclesiasticæ nullo pacto debent esse subiectæ potestatibus secularibus in quibuscunque causis, sed suis superioribus Episcopis, causæque secularium deferantur ad suos iudices seculares secundum naturalem fororum distinctionem, sicut in Ecclesia Catholica semper est postea obseruatum, & hoc totum Apostolus ipse suo tempore iam posuerat in praxim, vt constat ex his quæ ad Thimotheum, & ad Titú scripserat. Etenim 1. ad Tim: 5. dixit: *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus, aut tribus testibus*: vbi clare constat presbyteros, & consequenter omnes alios clericos debere iudicari ab Episcopo, & consequenter nunquam à iudice seculari; atque ad Titum cap. 3. dixit: *Admone illos Principibus, & potestatibus subditos esse dicto obedire*: vbi nullã de clericis faciẽs mentionẽ, sed solummodo de omnibus laicis de quibus superius specialiter locutus fuerat, Clarissime docuit laicorum prophanas causas à suis iudicibus laicis debere iudicari, vt fororum horum duorum Ecclesiastici, & secularis in Ecclesia statueretur distinctio, nullaque fieret confusio, sed in omnibus causis personæ Ecclesiasticæ cognoscerentur à Prælatis suis Ecclesiasticis, & personæ laicę à suis Principibus secularibus, & hic est proprius, verus, integer, atque Catholicus sensus verborum omnium Apostoli ad Rom: 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.* nec alius est admittendus ne sibi contradicere Apostolum cogamur asserere, quod vt dictum est absurdum maximum, & summa esset impietas.

Locum illum Sacri Euangelij Io: 19. Adamussim traditionis Apostolicæ appendere reliquum est, puta. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*: Quibus ex verbis Veneti moderni Theologi sic argumentari nituntur. Dominus ipse, & Deus noster Iesus Christus, ore proprio fassus est Pilatũ pro sidẽ, habere super se potestatem cęlitus datã, ergo per locum à maiori, & eo magis super Apostolos, & consequenter Episcopos, sacerdotes, & omnes clericos Principes omnes seculares, sicuti & Pilatum habere contestatus est. Huic illatę Conclusioni per argumentum à maiori sicuti libere, ita quoque secure primo omnium sic respondere de industria proponimus, dato & vt librae etiam concesso, quod per hæc verba proprio ore prolata, Dominus confessus fuerit potestatem super se desuper datam Pilato, & ita se ipsum legitime subditum potestati Principum esse. fuerit

prote-

poteſtatum, non propterea poſt Domini noſtri ipſius reſurrectionem, Apoſtolos eorumque ſucceſſores, & conſequenter ſacerdotes, & clericos ſacros, ſubditos poteſtatibus Principum in futurum remanſuros, inferri poteſt neceſſario. Eo quia Dominus noſter poſt ſuam reſurrectionem, vt habetur in fine *Euangelij* Matthæi dixit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritusſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Poteſtas hæc quæ vt S. Thom. poſt Hieronymum, atque Remigium dicit, illi data eſt, qui paulo ante Crucifixus, qui ſepultus in tumulo, qui poſtea reſurrexit ideſt Chriſto, ſecundũ quod homo. Dicitur autem ſibi poteſtas data ratione vnionis per quam factum eſt vt homo eſſet Omnipotens. In hac ipſa omni poteſtate Domini Noſtri Ieſu Chriſti per quam etiam vt homo, dicitur & eſt omnipotens, ſicuti comprehendebatur poteſtas illa *Excellentiſſima* transferendi ſacerdotium antiquum cum tota ſua lege Moyſi, ſicuti & tranſlata ſunt, illud nempe ouium, arietum, atque taurorum in aliud noſtrum auguſtiſſimum Sacroſanctæ Euchariſtiæ corporis, ſanguinis veri ipſius Chriſti Domini, & Dei noſtri, & lex innumerorum præceptorum iudicialium ceremonialium: in legem Sacroſanctam Euangelij, libertatis, & gratiæ, vt Leo Papa inquit tranſlatio facta eſt à tenebris & vmbra mortis & intolerabilis ſeruitute in Dei lumen, & Regnum; Ita quoque eſt dicendum, fatendum, & aſſerendum in eadem Chriſti Domini noſtri omnipotentia, comprehenſam quoque fuiſſe poteſtatem transferendi ſubiectionem Apoſtolorum, Epiſcoporum, Sacerdotum, & Sacrorum aliorum miniſtrorum à poteſtatibus ſecularibus in ſubiectionem iure naturæ proportionatam, ſub poteſtatibus eiſdem Eccleſiaſticis. Quod tranſlatio ſubiectionis perſonarum, inquam *Eccleſiaſticarum* à ſubiectione, quæ antea erat ſub poteſtatibus laicis, ad ſubiectionem quæ nunc eſt ſub poteſtatibus Eccleſiaſticis in rei veritate, & reali exiſtentia ſit facta in Eccleſia Chriſtiana per ipſius Domini noſtri, hanc omnipotentiam non modo per eiuſdem Dei ſacra verba inſinuatur, ſed etiam per ipſam Apoſtolorũ, & Patrum traditionem manifeſtatur, & per quamplurimos, vt ſæpe replicatum eſt Summos Pontifices, & martyres ordinata ſerie comprobatur.

Hier. ſuper Marc. c. 16. 3 p. q. 13. art. 2. ad 1.

Serm. 1. de Nat. Dom.

Sed hoc, ita habito argumento ex conditionata conceſſione, ſecundum conuenti, genuinam ſignificationem verborum Domini ad Pilatum non deſeremus explicare, nimirum, quod per verba ad Pilatum. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam niſi tibi datum eſſet deſuper;* nullam fateatur dominus de iure ſubiectionem ad Pi-

latum

latum, ostenditur clarissime per ipsa eadem verba ipsius Domini si ex causa dicendi, (vt oportet) considerentur, nam quoniam Pilatus se iactauit habere potestatem eum crucifigendi, & eum dimittendi, illum dominus, vt à sua iactantia, & errore remoueret, & ad fidem Catholicam de se ipso ædificandam, respondit dicens: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*, Qui dum vniuersalem proponit potestatis negatiuam scilicet non vllam, ostendit ipsum non omnem idest ordinariam potestatem habere, sed aliquantulã de facto permissiuo solummodo, & ideo Pilato ipsi non esse liberum, vt putabat eum Crucifigere. Eo quia Christus Dominus cum sit vere filius Dei non poterat mori inuitus per potestatem super se coerciuam, sicuti & ipse Io: cap. 10. fidei de se hunc articulum manifestans dixerat: *Quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo iterũ sumendi eam.* Quid nanque esset iudici, aut Principi non esse liberum condemnare hominem apud se accusatum, nisi potestatem legitimam, & ordinariam in illum non habere? igitur solummodo de solo facto, & de sola permissione diuina, qua dispensatum est in ipso domino, vt pateretur, & quasi deliquens condemnaretur, & crucifigeretur, ad perficiendum cursum redemptionis totius mundi, vt adimplerentur scripturæ Prophetarum, vt ipse contestatus est

Matth. 26
Sap. 2.

dicens: *Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo.* scriptum vtique erat. *Contumelia, & tormento interrogemus eum, & morte turpissima condemnemus eum.* ergo ipse dominus eum respondit Pilato. *Non haberes potestatem, &c.* talem, ac tantulam, & solam potestatem confessus est per quam ipso volente suscipere sententiam condemnationis, Pilatus eum condemnauit adiudicans fieri petitionẽ Iudeorum clamantium Crucifige, Crucifige eum, & hæc sola nuda, & penè nulla, (vt ita dicam) fuit in Pilato potestas quæ nullo prorsus pacto dici potest in iudice ipso proprie quoquomodo potestas, sed potius simplex de facto permissiuo eius quod diuina voluntas in Christo decreuerat, & per Prophetas pronunciauerat; Vnde in hoc ipso facto, si quæ potestas ponenda est propria ordinaria, atque legitima, in ipsomet Christo solum est, qui vt Deus, se ipsum vt hominem voluntarie supposuit tali iniustæ sententiæ pronunciatæ à Pilato. Quænam vero, & quanta sit potestas ista, quam dominus confessus est fuisse aduersum se in Pilato, clare, atque distincte, simul, ac proprie explicat Augustinus super Io: tract. 116. quem Theologus Venetus, aut inconsulto, aut certe subdole de industria pro se falsa, ac truncate adducit in suæ considerationis, fol. 28. Inquit enim ibi August. Proinde vbi non respondebat sicut ouis silebat, vbi respondebat,

sicut

ſicut paſtor docebat. Diſcamus ergo, quod dixit, quod & per Apoſtolum docuit, quod non eſt poteſtas niſi à Deo; & quia plus peccat qui poteſtati innocentem occidendum liuore tradit, quam poteſtas ipſa, ſi eum, timore alterius maioris poteſtatis occidit. talem quippe Pilato Deus dederat poteſtatem, vt etiam eſſet ſub Cæſaris poteſtate. Quapropter non haberes inquit aduerſum me poteſtatem vllam idest quantulamcunque habes, niſi hoc totum quidē tibi eſſet datum deſuper; ſed quoniā ſcio quantū ſit, nō enim tantum eſt, vt tibi omnino liberum ſit, hęc ſunt verba Aug.

In his (vt patet) Auguſtini verbis, duæ potiſſimum clauſulæ pro re hac elucidanda veniunt expendendæ. Prima cum dicit, diſcamus ergo quod dixit, quod & per Apoſtolum docuit, quod non eſt poteſtas niſi à Deo. Altera, cum dicit, quapropter non haberes inquit aduerſum me poteſtatem vllam, idest quantulamcunque habes, niſi hoc totum quidem tibi eſſet datum deſuper; ſed quoniam ſcio quantum ſit, non enim tantum eſt, vt tibi omnino liberum ſit. Quoniam Auguſtinus in hac ſecunda clauſula explicat Chriſtum Dominum dicere, Pilatum habere in eum poteſtatem ſolummodo limitatam, ſcilicet quantulamcunque, per quam non erat ei omnino liberum illum, crucifigere; è hinc clare oſtendit, Dominum negaſſe in Pilato aduerſus eum eſſe poteſtatem ordinariam, & de iure, coerciuam quam Principes, & iudices laici habeant, & habere ſolent in ſuos ſubditos: ſed ſolum quantulamcunq; hoc eſt de ſolo facto permiſſiuo. Ex permiſſione inquam, ſibi datam, per diuinam diſpenſationem habitam in Chriſto Domino Noſtro; pro miſterio redemptionis mundi perficiendo, quamobrem Auguſtinus in prima clauſula, vt eum ſibi conſtare fateamur, ne ſibi in paucißimis verbis contradicat per illa verba, puta, quod, & per Apoſtolum docuit, quod non eſt poteſtas niſi à Deo, intelligi omnino voluit quod Dominus Noſter, vt Pilatum à ſuo ſuperbo ſtatu humiliaret, dum dixit, ſibi datum eſſe deſuper, dicere intellexit, omnē poteſtatē ſcilicet tam de iure, quā de ſolo facto, etiam ex vſurpatione tirannica, & iniuſta ſententia, quęcunq; illa fuerit eſſe ab ipſo Deo, differenter tamen ita vt ea, quę de iure eſt, a Deo ſit, diuina voluntate beneplaciti concedente, & diſponēte ad politicam populorum gubernationē, & ea quæ de facto ſolo eſt, vel etiā ex vſurpatione tirannica, à Deo etiam eſt diuina voluntate ſuo modo ſecretiſſimo atque altiſſimo permittēte, quare dum dixit. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*; confeſſus eſt in Pilato aduerſum ſe eſſe poteſtatem de ſolo facto permiſſiuo, & negauit in illo eſſe poteſtatem aduerſum ſe ordinariam, & de iure, ſicuti ex diuina ordinatione reperitur in Principibus, erga omnes ſibi ſubiectos. In

comprobationem huiusce veritatis, quod hæc sit vera, & propria intelligentia horum verborum domini, respondentis ad Pilatum. & hæc sit explicatio ipsius Augustini: afferre non desetam declarationes aliorum Patrum eiusdem per omnia sententiæ, Chrisostomi scilicet, Theophilacti, & Cyrilli Alexandrini. Chrisostomus namque conformiter ad sententiam Augustini distinctius, & clarius, sic inquit super cap. 19. Io. hom. 84. *Non haberes potestatem nisi tibi datum esset desuper*. Ex quo significat non simpliciter, & vt res plurimum solent, sed mistice euenisse, sed ne ea particula, *nisi esset tibi datum desuper*, nullo ipsi crimini adscribendum duceret, ideo inquit, maius peccatum habet qui tradidit me tibi. Atqui si datum erat, neque hic, neque illi rei erant criminis; frustra hæc dicis. hoc verbum, datum, in hoc loco permissiuum est: quasi diceret, permisit hæc fieri: non tamen propterea vos non accusandi: hucusque Chrisostomus, qui, vt patet solã potestatem in Pilato ex facto permissiuo dicit confiteri Dominum, fuisse in Pilato aduersus eum, non ordinariam, & simpliciter: vt plurimum solet esse in Principibus, sed solum mistice in Pilato euenisse talem potestatem, hoc est pro misterio redemptionis complendo.

Theophilactus enarratione in Io: sup. cap. 19. inquit, *Non haberes potestatem vllam, nisi tibi esset superne datum*: non enim ita simpliciter morior, sed misticum aliquid perficio, & prædefinitum est hoc superne in salutem hominum: ne autem cum audieris quod superne sit datum, existimes Pilatum apud Deum a culpa liberatum, statim subinfert, *Qui tradidit me tibi maius peccatum habet*. ostendit reum hinc, & Pilatum peccato quamuis minori obnoxium: non enim quia superne datum est, hoc est concessum esse, vt moriatur Christus, statim extra noxam sunt Pilatus, & Iudæi, sed vestra quidem voluntas malum voluit, Deus autem permisit, & concessit, vt in opus hoc progrediatur. hactenus Theophilactus. qui eandem sententiam Chrisostomi sequi semper consueuit.

Diuus Cyrillus Alexandrinus in Euangelio Io. c. 22. inquit: Respondit Iesus *non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper, propterea, &c.* Quoniã adeo principatus sui Pilatus potestatem ostendebat, ac in se solo & punire, & absoluere situm esse iactabat, commodissime huic orationi vires & potestatem suã opponit, statumque Pilati, vel aduersus Dei gloriam tumentem deprimit, & futuris fidelibus consulit: non enim paruum detrimentum fidei est, si quis putet inuitum Christum vi tractum ad passionem fuisse Quomodo enim qui, natura, Deus, & Rex omnium a scriptura prædicatus, cogi ab aliquo potest? Hunc igitur errorem radicitus euellit, dicens, *nisi tibi datum esset desuper*: desuper autem dicit, quia ipse vnigenitus seipsum obtulit, consensu patris, vt incarna-

tionis

tionis impleretur miſterium. datũ ergo inquit eſt deſuper, id eſt cõceſſum, conſentit Pater vna cum filio, nõ enim ratione ſolum qua Deus eſt, non poteſt cogi ſed igitur eum, & voluntate Patris datam eſſe poteſtatem Pilato ait, vt quicquam aduerſus eum agere poſſet. Hæc Cyrillus. qui clariſſime eandem affert ſententiam conformiter ad Chriſoſtomum Theophilactum, & Auguſtinum, vt patet. In cuius ſpecialiter verbis venit ad notandum, quod qui dicit, vel putat Pilato fuiſſe poteſtatem ordinariam aduerſus Chriſtum Dominum, vt eum potuiſſet Crucifigere tanquam ordinarius iudex, directe quoque inferre dicit, & putat Chriſtum Dominum paſſum fuiſſe iuſte, ſicuti omnis ſubiectus iuſtè condemnatur à iudice poteſtatem ordinariam habente, quantum eſt in opere actionis, & ſententiæ. Hinc manifeſte colligitur in quantum errorem hæreticalem manifeſte inciderit, Theologus Venetus, qui in loco hoc Euangelij Verba Chriſti Domini adducit pro ſuo errore, ad innuendum, quod Chriſtus Dominus confeſſus fuerit in Pilato fuiſſe ſuper eum poteſtatem ordinariam, & quod peſſimum eſt allegat in ſuam falſam ſententiam Auguſtinum, qui totum e diuerſo explicat ſenſum verborum domini. Nam dicere in Pilato fuiſſe poteſtatem ordinariam ſuper Dominum Ieſum Chriſtum, eſt dicere, & aſſerere, Pilatum habuiſſe in Dominum noſtrum poteſtatem coerciuam, & conſequenter potuiſſe illum inuitum Crucifigere, quam impietatem, & hæreſim formalem nunquam in ſuis verbis admiſerunt, nec Auguſtinus, nec Bernardus, neque Caetanus, quos falſo pro ſe adducit hic falſus Theologus.

Pro intelligentia, & ſenſu vero, ac proprio illius ſacræ ſcripturæ loci act. 25. vbi Paulus Feſto Proconſuli dixit: *Ad tribunal Cæſaris ſto vbi me oportet iudicari, &c. Cæſarem appello.* Conſideranda primo omnium eſt cauſa propter quam Paulus appellationem ad Cæſarem interpoſuit: nam vt ſuperius ex Hilarij regula dictum eſt, intelligentia dictorum ſacræ ſcripturæ ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, cauſa autem fuit, vt patet ex cap. 24. actuum ne ſcilicet daretur in manus Iudæorum, qui illum certo certius occidiſſent, Princeps enim ſacerdotum Ananias cum ſenioribus quibuſdam, & Tertullo quodam accuſauerunt Paulum apud Felicem tunc proconſulem, dicentes. *Quem & apprehenſum voluimus ſecundum legem noſtram iudicare.* Et quia vt conſtat in epiſtola ad Rom. cap. 1. ſcripſerat illis fidelibus ſe iturum Romam dicens: *Nolo autem vos ignorare fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos (& prohibitus ſum, vſque adhuc) vt aliquem fructum habeam in vobis ſicut, & in cæteris gentibus:* Et hoc non, niſi per ſpecialem Ieſu Chriſti reuelationem, atque mandatum; Vt igitur non impediretur eius ad

Romam accessus, nec expediens fuit ire modo miraculoso, oportuit remedium appellationis sufficiens adhibere, ad potestatem, quæ de facto reperiebatur eo tempore, licet non de iure. nam potestas ordinaria super personam Ecclesiasticam sicuti erat Paulus, non reperiebatur amplius apud Pontifices legis Mosaicæ: quia sacerdotium illud iam collapsum erat, & potestas absoluta, sicut & ipse Paulus postea scribens ad Hebræos, cap. 7. dixit. *Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat*, ne igitur, quod publica prædicatione collapsum dixerat, rursus videretur probare, ne sibi eueniret, quod scribens ad Galatas euitandum statuerat, vbi dixerat, *Si enim destruxi iterum reædifico præuaricatorem legis me constituo*; noluit, sicut & non debuit deferre appellationem ad sacerdotes legis Moysi, quod siquidem sacerdotum tribunal, nec etiam si tunc stabile fuisset, Paulo profuisset ad mandatum Christi complendum se se Romam conferendi, sed neque debuit appellare ad tribunal Petri, quia nihil sibi profuisset; eo quod, licet tunc in Petro, vere, & proprie residebat potestas cognoscendi illum, & omnes Ecclesiasticas personas, de iure: attamen de facto, potestas hæc in Petro non erat ad actus publicos redacta, vt posset Paulum liberare, & eo maxime, quia in illa lite Paulus ipse actor erat, & causa eius non erat cum fidelibus, sed cum infidelibus: cum Festo proconsule scilicet, & cum Iudeis. idcirco ratione fori quod sequitur semper ipsum reum, necesse illi fuit sedente proconsule pro tribunali, & declinante ad iniustitiam quam tulisset in eum, dicere: *Ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari, &c.* Vsque Cæsarem appello, per extensum, quia diuino præcipiente iure de non præstando scandalo cogebatur non appellare ad ipsum Petrum. nam si ad aliud tribunal quam Cæsaris appellasset, scandalum magnum fuisset Proconsuli, & omni Magistratui Rom. Quamobrem exẽplo ipsius domini, qui super soluendo didragmate à ministris Imperialibus requisitus in Petro, quamuis in persoluendo tributo tanquam Dei filium se liberum argumento conclusisset, dixit Petro: *Vt non scandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, &c.* Igitur tam pro scandalo hoc curando, quam quod Petrus illum liberare non potuisset, idcirco ad Petri tribunal non appellauit. His igitur rationibus Paulus coactus fuit ad tribunal Cæsaris appellare, in quo, & si non de iure esset potestas iudicandi Apostolum, tamen adhuc erat potestas de facto, & illa de solo facto potestas, satis erat, sicuti, vt vera fuit ad liberationem Apostoli de manibus Iudeorum, quam ipse requirebat, vt iter sicut Romanis Christianis scripserat, Romam versus arriperet, & sic, quod sibi à Christo Domino reuelatum, ac mandatum fuerat adimpleret, hinc euidenter apparet,

quam

quam etiam inferant, in ipſum ius naturale impingentes, ſcioli moderni dicentes, quod Paulus mortaliter peccaſſet Cæſarem appellando, ſi Cæſar ſuus legitimus Iudex non fuiſſet. quoniam Sanctus Apoſtolus in gratia Dei confirmatus non appellauit ad Cæſarem tanquam ad iudicem ordinarium pro aliqua iuſtitia politica obtinenda, ſed ſolum appellauit ad eripiendum ſe de manibus Iudæorum, ad quem effectum ius naturale in omnibus etiam animalibus recurrendum eſſe dictat, iuxta illud cap. Ius naturale 1. diſt. Depoſitæ rei, vel commendatæ pecuniæ reſtitutio, violentiæ per vim repulſio, aut ſi quid huic ſimile eſt, nunquam iniuſtum, ſed naturale æquumque habetur. Quamobrem ex hoc loco actor. 25. per appellationem Pauli factam ad Cæſarem nulla prorſus colligitur proteſtata, ſiue inſinuata poteſtas, & iuriſdictio apud Cæſarem ſuper Apoſtolum de iure, vt ipſimet ſcioli moderni prætendunt, ſed ſolum de facto ex diuina permiſſione quo vſque pax fuiſſet Eccleſiæ Chriſtianæ cælitus conceſſa. Alioquin in ipſum deuenirent abſurdum, quod ſuperius eſt penitus depulſum, quod ſcilicet Paulus contra illud, quod Corinthijs prius præcepiſſet, ne ſcilicet cauſas ſuas ad iudices ſeculares deferrent, de facto poſtea effeciſſet, ſi appellando Cæſarem ſubiectionem de iure proteſtatus fuiſſet, quinimo, quod amplius eſt, contra ipſius Dei ordinationem, & præceptum de immunitate perſonarum Eccleſiaſticarum, quam ipſe ſimul cum Petro breui tempore erat promulgaturus; quã etiam immunitatem Eccleſiaſticam ipſemet ex parte Dei ordinare iam cœperat, & conſtituere in ſua poſita praxi, ſcribens Timotheo epiſtola 1. cap. 5. *aduerſus presbyterum accuſationem noli accipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus*, declarans in hoc manifeſte, ita ſacerdotes, & conſequenter omnes ſacros miniſtros altaris debere iudicari ſolum apud Prælatos Eccleſiaſticos, ſicuti omnes ſeculares apud ſuperiores poteſtates laicas quemadmodum ſcribens etiam ad Titum præcipit dicens, *Admone illos* (ſcilicet ſeculares) *Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe.*

Pro vera, & propria intelligentia illius loci ſacræ ſcripturæ, quam Venetus Theologus pro ſe, etiã adducit 1. Petri 2. Videlicet *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſſis*; hic non opus eſt patrum aliquorum afferre interpretationes, atque ſententias, cum ſuper omnes alios clare dilucide, & eleganter Innocentius Papa III in epiſtola ad Imperatorem Petri hæc verba declaret iuxta ſuæ lecturæ genuinam intelligentiam, vt in cap. ſolitæ. de maioritate & obed. reſumitur; quam quidem, vt iacet hic recenſere non grauabimur, ita enim loquitur Innocentius, Mirata

 eſt tua

est imperialis sublimitas, quod te, nisi fallimur in nostris litteris increpare, huic autem tuæ admirationi non causam, sed occasionem præbuit, quod Legisti Beatum Petrum Apostolorum Principem sic scripsisse. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Verum si personã loquentis, & eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentius attendisses scribenti, non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat, nam si per hoc, quod dixit *subditi estote*, sacerdotibus voluit imponere iugum subiectionis, & eis prælationem authoritatis adferre, quibus eos subiectos esse monebat, sequeretur ex hoc etiã, quod seruus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur *omni humanæ creaturæ*. Quod autem sequitur. *Regi tanquam præcellenti*, non negamus quin præcedat Imperator in temporalibus illos dumtaxat qui ab eo suscipiunt temporalia; sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori: licet non simpliciter dictum fuerit. *Subditi estote*, sed additum est *propter Deum*, nec pure sit subscriptum *Regi præcellenti*, sed interpositum forsan non sine causa (*tanquam*) quod autem sequitur *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*. Intelligendum non est, quod Rex, vel Imperator super bonos, & malos gladij acceperit potestatem, sed in eos solummodo, qui vtentes gladio, eius sunt iurisdictioni commissi. Hactenus Innoc. ibi. quibus verbis vera, propria, & naturalis intelligentia verborum Petri Apostoli elegantissime, atque vberius explicatur, vt nullius alterius doctoris egeat interpretatione cum declaratio scripturæ data a Summo Pontifice prævaleat interpretationi omnium fere doctorum.

Loci etiam illius Sacri Euangelij Matthæ 20. & Lucæ 22. scilicet. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eas benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator.* Veram intelligentiam, & litteralem huc afferre non omittemus, quem locum, & si Theologus Venetus in sua consideratione minime addúcit nihilominus, quia Marsilius de Padua Hæreticus condemnatus, olim in sua prius apologia pro Bauaro Imperatore schismatico a se edita, & postea suo quoq; tempore Philippus Melanchthonus hæresiarcha pessimus, in sua Apologia, quam edidit in Voormatien. colloquij cõuentu hæc eadem domini verba pro se assumunt aduersus potestatem Ecclesiasticam, de quibus quidem ambobus apologeticis, Theologus iste Venetus suas rationes

fere

ſitę omnino deſumtę, vt ibi iacent, ſimul & diuini legenti permittenda eſſe poterit. ideirco propriam horum verborum diuini interpretationem de induſtria afferre decreuimus, vt omnes fideles, & maxime Principes ſciant non Catholicorum eſſe rationes, & allegationes, ſed peſſimorum hæreticorum, quos ius diuinum per Apoſtolum præcipit euitandos. Hæreſiarchæ namque præfati Marſilius, & Philippus ſtabilientes omnem prorſus poteſtatem, & iuriſdictionem à Romano Pontifice, & cæteris Epiſcopis amouere, hęc domini verba, Lucæ 22. ac Matth. 20. & Mar. 10. allegant dicentes, quod per ipſa verba diuinitus ſit Apoſtolis, & ſucceſſoribus cunctis Epiſcopis, & Sacerdotibus omnis iuriſdictio, omniſque authoritas obligandi, leges ferendi, atque coercendi, erga fideles peccantes. Et ſi quam habent hodie iuriſdictionem iure humano à Regibus, & Imperatoribus ſibi donatam obtinent. Sed peſſime falluntur, & toto errant cœlo putantes falſo, quod dominus verba hæc, ſcilicet: *Principes gentium dominantur eorum, & cæt.* dixerit tanquam pertinentia ad ſolos Eccleſiaſticos Prælatos: ſed certiſſime pro omnibus Chriſtifidelibus Principibus, tam ſecularibus, quam Eccleſiaſticis ſunt prolata admonens illos omnes, vt in ſuis adminiſtrationibus non imitentur Gentilium Principum, audacem, tyrannicamque ſuperbiam erga populos ſibi ſubiectos, ſed chriſtianæ charitatis, dulcedine, atque modeſtia erga ſuos ſubditos ſe gerant. *Scitis*, inquit dominus, *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos, &c.* hoc eſt, vt explicat Origenes, non ſunt contenti eaſi tantum regere ſubditos ad viam ipſorum vtilitatem, ſed violenter eis dominari nituntur. & vt inquit Chriſoſtomus, Principes mundi ita gerunt principatum, vt dominentur minoribus, & eos ſeruituti ſubiiciant, vt expolient, & ad mortem, vſque eis vtantur ad ſuam vtilitatem, & gloriam. Sed hæc Principes gentium, qui ignorant Deum, vos autem non ſic. Vos inquit qui mei eſtis non ſic, non inſtar illorum, qui Deum ignorant, ſed velut in oculis communis Domini ſuper conſeruos, & confratres veſtros, non ad veſtram (quæ tyrannis eſſet) ſed eorum tantum vtilitatem, & communis domini gloriam, Principatum, ac primatum exercebitis. hæc Chriſoſt. Quæ omnia nunquam obliuioni expedit cunctis fidelibus principibus, ſed memoriæ indelebili commendare, ſi cupiunt ad cœleſtem patriam peruenire: nec ſibi ab aliquo ſciolo adulatore ſinant perſuaderi, verba hæc Domini, Euangelicumque præceptum, ad ſolos Epiſcopos, aliosq. Eccleſiaſticos Prælatos, ſed etiam ad Principes ipſos, Reges, & Imperatores, ac magiſtratus ſeculi pertinere; ad omnes certiſſime ſpectant, qui Chriſti ſunt oues, & agni de ſuo ſacratiſſimo ouy-

li,

li, nam vt inquit dominus, non sic distinguens à gentibus infidelibus, qui ignorant verum Deum, quod si à scolis modernis fascinati putent dicta solummodo esse ad Prælatos Ecclesiasticos, necesse erit eis aduersum se concludere Christi sententiam, quod ipsi non sint propterea fideles, sed adhuc Gentiles de gentibus qui nesciunt Christum Dominum. Quamobrem ex verbis his domini sub Euangelico iniungitur mandatum, vt omnes superiores tam Ecclesiastici, quam seculares, subditos suos, suasq; Ciuitates, Prouincias, Regna, Ecclesiam vniuersalem diœceses, Parochias, Conuentus, & Monasteria, domosq; cunctos de charitate Christi gubernent, tanquam membra principalia totius Corporis Christi, quod est Ecclesia, effecti ciues sanctorum, & domestici Dei, superedificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum Sanctum in domino, in quo, & nos ędificamur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.

En in domino nostro lectores amantissimi, quo nam proprio, & appolito modo, hæc quinque principalia noui testamenti loca intelligantur, & omnino intelligi debent, vt non solum non aduersentur (vt oportet) Apostolicæ, & Patrum traditioni de immunitate Ecclesiastica, sed eandem omnino fratuant, atque defendant, ita quoque alia quæcunque occurrerint, veniunt prorsus intelligenda, & de iusta consequentia sumpto argumento per locum à maiori, sicut demonstratum est, omnia sacræ scripturæ loca noui præsertim testamenti, quæ quoquomodo videbantur annuere, omnes personas tam laicas, quam Ecclesiasticas iure diuino subditas esse Principibus secularibus, & magistratibus ita oportuit intelligi, & declarari, vt non aduersentur Dei ordinationi, & pręcepto per Apostolorum traditionem, & Patrum pronunciato, pro Ecclesiastica immunitate constitutæ, quanto igitur magis, si quæ, imo quæcunque reperirentur sententię doctorum, vel etiam Patrum oportebit, eas quoq; omnes interpretari, vt eidem traditioni pro immunitate Ecclesiastica nullo pacto aduersentur. facessere ergo procul hinc oportet, omnes allegationes Patrum, atq; Doctorum, quas Theologus Venetus in sua consideratione fol. prædictim 28. & 29. pro se perperam, & falso iacit, puta Chrisostomi, Augustini, Theodoreti, Theophilacti, Eumenij, Bernardi, Diui Thomæ, & Caetani, & quorumcunque aliorum: eo quoniam omnes tam prefati, quam alij quicunque fuerint, quemadmodum nunquam somniarunt, contrarium docere, quam traditio Apostolica doceat, de immunitate hac, & libertate personarum, & rerum Ecclesiasticarum, ita quoque si in aliquantulo, eorum verba apparent aduersari, interpretanda sunt, & glosianda, vtpote quoniam ipsi

 ad-

adhereſcatur, ſed eandem ducent, atque tueantur.

Quamobrem D. Thomas, qui in epiſtola ad Romanos, c. 13. agens de tributis præſtandis dixit. Ab hoc tamen debito liberi ſunt clerici ex Privilegio Principum, quod quidem, equitatem naturalem habet: interpretandus eſt, vt non loquatur de omnibus clericis quatenus nomine clericorum comprehenduntur Epiſcopi, presbyteri, Diaconi, & ſubdiaconi, ſacrorum ordinum, atque Regulares: ſed de ſolis clericis minoribus, & coniugatis etiam quoad bona patrimonialia, quorum immunitas ſoluendi tributa, & vectigalia, & alia conſueta onera per priuilegium Principum conſtat. lib. 1. C. de Epiſcopis & cler. l. omnis. vbi habetur, Omnis à clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniqua exactionis repellatur improbitas, deinde. Itaque extraordinariorum munerum à prædictis neceſſitas, atque omnis moleſtia conquieſcat, ad angariarum quoque præſtationum non vocentur, ſed eorundem facultates atque ſubſtantiæ omnibus clericis huiuſmodi prærogatiua ſuccurrat, vt & coniugia clericorum, ac liberi, eorum quoque miniſteria idest mares pariter, ac feminæ, eorum filij & filiæ immunes ab huiuſmodi muneribus perſeuerent. Vbi gloſſa notat primo ex hac lege, quod clerici de bonis præbendarum ſuarum, quæ vendunt, vel vendi faciunt, non tenentur ſoluere gabellas, nec etiam ad portam ſoluunt etiam clerici coniugati & notat vltimo, quòd clericorum priuilegium datur eorum vxoribus, & filijs ſecundum Bal & eadem l. & tit. in nouella conſt. Federici, quæ incipit. Item nulla, ſic habetur. Eadem immunitas conceditur omnibus clericis, vbi gloſſa inquit primo præcipit quod nulla communitas vel perſona publica vel priuata, debet cogere clericos ad exactiones collectarum, ſiue ad extraordinaria munera, & ita intelligendus eſt ibi Diuus Thomas, quod clerici minores, & prima tonſura etiam coniugati ſint effecti liberi à debito ſoluendi tributa ex priuilegio principum, & non intelligat de epiſcopis, presbyteris, & alijs ſacrorum ordinum, & Regularibus; qui de ſuperiori iure nempe canonico, atque diuino liberi ſunt ab huiuſmodi grauaminibus, vt habet cap. quanquam. de cenſib. à nobis ſuperius explicatum pro iure diuino ex Dei ordinatione, & Apoſtolorum traditione promanante. quinimo ita rectius interpretandus eſt hoc in loco D. Thomas, quod ſi tempore ſuo edita fuiſſet decretalis Bonifacij hæc. cap. quanquam. de cenſib. certo certius ſuis illis verbis (liberi ſunt clerici ex priuilegio principum) addidiſſet (ac etiam priuilegio de iure canonico, quin etiam, & diuino) vt in eodem cap. quanquam, cum ſemper ipſe D. Thomas fuerit in ſuis Angelicis ſcriptis zelantiſſimus honoris, & præeminentiæ, atque autoritatis, & reuerentiæ omnium Summ. Pontificum. Nec opus eſt tereie

tempus in interpretandis, seu explicandis sententijs aliorum doctorum, Bernardi, Gaetani, &c. quos theologus Venetus pro se adducit, quia vt legentibus omnibus constat, nil illi Patres, & doctores dicunt quod aduersetur priuilegio immunitatis, quin sic vere, & declaretur esse de iure diuino. Quamuis praefati doctores atque etiam alij asserant in Pilato non fuisse vsurpatam potestatem, & si concedatur, quod in Pilato non erat potestas vsurpata, non ideo consequens est, quod ipse Pilatus in ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum habuerit potestatem ordinariam, vt falsò contendit inferre Theologus Venetus; Quia & si recte quidem infertur, Pilatum non vsurpatam habuit potestatem, ergo ordinariam habuit: Hoc verum est de omni subdito sibi legitimè, at nequaquam de ipso Domino Nostro Iesu Christo, qui cum sit verus Deus Dei filius, etiam in quantum homo est dominus omnium, non fuit legitime subditus Pilato, nec vlli Principi seculari. Probe namque non solum Patres inter quos Bernardus, sed etiam Theologi, vt Caietanus, & etiam Io: Driedonius, & alij vere Theologi, atque doctissimi, qui in Pilato dicunt non fuisse potestatem vsurpatam, sciebant, & callebant illa quatuor Theologica particularia, quę in ipso domino nostro vere, & proprie concurrebant. Primum videlicet, quod de statu innocentiæ, & naturæ institutę habuit immunitatem à peccato, secundum proprietatem, & conditionem illius status. Alterum, quod non poterat pati, nec mori inuitus. Tertium quia mortuus est propter delicta aliena non sua, *& posuit in eo dominus iniquitatem omnium nostrum*. Quartum quia potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Nullum autem horum quatuor potest secum compati subiectionem ordinariam, atque legitimam ad superiorem humanam Principum potestatem, quę vt sit ordinaria, atque legitima, oportet vim coerciuam sibi vendicare, sed solummodo secum compati possunt superiorem potestatem aliquantulum (vt vtar verbo Augustini) & solum de facto permissiuo, ac mistico (vt verba vtar Chrisostomi, & Cyrilli) in hoc solo sensu, vt fieret executio crucifixionis per iudicis hominis sententiam iniquam, propter scripturas Prophetarum, quas oportuit de ipso adimpleri: & ideo per iudicem hominem condemnari tantummodo, & non, vt subditus proprie, atque legitime: quia huiusmodi subiectio ipsi specialiter repugnabat.

Isaiæ 53.

CONCLVSIO DECIMA.

Dicere nullum ex Sanctis Pontificibus, Episcopis, & alijs sacerdotibus, dixisse se exemptum, & immunem esse

eſſe à poteſtate Principum, & Magiſtratuum ſæcularium. Exiſtum eſt euidentiſſime in facie omnium Eccleſiarum, quæ tot, tantorumque Summorum Pontificum à Clemente ſcilicet primo ad Melchiadem, martyrum glorioſiſſimorum, & à Syluestro I. vſque ad Gregorium I. ac Magnum, ſanctiſſimorum Dei confeſſorum, atque Conciliorum tam Generalium, quam Prouincialium Romani inquam primi ſub Syluestro. Niceni I. Carthagini III. Calcedonenſis Magni. Venetici, Cabbilonen. Aghaten. tam ſub Leone I. quam & alio ſub Sixto Papa III. Matiſconenſis, Moguntini, Lateranen. maximi. ſub Innocentio III. & poſtremi noſtri temporis Tridentini teſtimonia, ſententias, atque decreta ſemper honore debito, ac reuerentia ſuſcipientes, ſunt proſecutę. e quorum Pontificum teſtimonijs, ſententijs, atque decretis diſcedere, impium eſt, temerarium, & deficientiæ fidei patens ſignum. Eo quod prænominati Pontifices in Eccleſia, tempore non ſint adeo moderni, de quibus contradicentes oblatrarent Lutheranorum more, Papas centenarios appellando, cum ſint antiquiſſimi, & Chriſtianam Eccleſiam cum ipſis Apoſtolis ab eorum tempore ſuo ſacro ſanguine fundauerint, & illorum traditionem de immunitate Eccleſiaſtica ſerie continuata promulgauerint.

Ad hæc, cum omnes hi ſanctiſſimi Pōtifices non ſe ipſos modo, ſed omnes etiam particulares Epiſcopos alios, omneſque ſacerdotes, & ſacros clericos, Dei ordinatione, & præcepto immunes, & liberos eſſe à Principum ſæcularium poteſtate tam clare, tam ſecure, tamque libere ſint ſemper conteſtati, Admirabile videtur, & inſcrutabile vnde hodie hanc anſam ſumpſerint quidam moderni Theologi, vt non ſint veriti dicere. Nullum ex Sanctis Pontificibus Epiſcopis, & alijs ſacerdotibus dixiſſe exemptum ſe, & immunem eſſe à poteſtate Principum, & Magiſtratuum ſæcularium; ſi tamen ſaltem in litteris humanis, & ſacris aliquando fuerunt verſati. Pro comperto igitur haberi debet, quod Theologi iſti, aut epiſtolas decretales Pontificum quæ perota omnibus offeruntur in primo, & ſecundo Conciliorū generalium tomo nunquam legerint, nec lectas vnquam audierint: Aut certe de affectata induſtria deſpectui illas habere ſtuduerint, vt ſuam tot tantiſque Sanctis Pontificibus ſententiam anteferrent, in hac facti ſpecie, potiſſimum, Vuichlephi, Petri Abailardi, & Lutheri ingenium ſecuti, qui ſuam nouam ſuper omnes patres adeo extullere ſententiam, vt gloriarentur ſe omnibus alijs habere meliorem contra præceptum ſapientis: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos* Prou. 22.
poſuerunt Patres tui. Cæterum non ſolum (quod à malo eſt) Theologi iſti præferre ſuam ſic ſententiam conati videntur, ne dicam doctoribus, quemadmodum præfati hæreſiarchæ ſuam prætu-

lerunt, sed (quod à pessimo est & nunquam hactenus factum, vel attentatum) Summis tot Pontificibus, eisdemque gloriosis martyribus anteferre, quorum omnium, vnius solius loquentis, vt Papa testimonium, atque sententia, apud Catholicos, & vere sapientes semper præualuit senteĩtiæ doctorũ quamuis cõmuni, nõ solũ in re fidem concernente, sed etiam in re concernente mores salutares. Quamobrem, vt charitas Christi, quæ viget ons, sicuti principium est, ita fit nostræ huiusce Conclusionis finis, vnum quemlibet eorum Theologorum exortarer, vt Augustinum libenter auscultet tanquam nunc sibi loquentem, verba illa charitatis plena, quæ suo temporis libro aduersus Iulianum, cap. 2. scripsit. Ego te, inquit Augustinus, ante istos iudices constituo quos non amicos meos, & inimicos tuos in hac nostra disceptatione constituo cognitores, nec quorũ senteĩtiã de hoc q̃ inter nos disputatur morte sunt inani cogitatione confixi, sed Sanctos, & in Sancta Ecclesia illustres Antistites Dei, non Platonicis, & Aristotelicis, & Zenonicis (quanquam, & in his nonnulli ex eis docti fuere) verum omnes sacris litteris eruditos nominatim sicut oportebat, expressi: vt in eis timeas non ipsos, sed illum, qui sibi eos vtilia vasa formauit. Et vt apertius cognoscant hi Theologi, quam malum quamque impium sit tot Summorum Pontificum antiquissimorum testificationes, vel inficiari, vel contemnere: eiusdem Augustini alteram proferam sententiam, in suam ipsorum redargutionem: inquit enim Augustinus contra epistolam Manichæi c. 4 Multa sunt quæ me in Ecclesiæ gremio iustissime tenent, tenet consensio populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas dominus post resurrectionem suam cõmendauit, vsque ad præsentem sacerdotium Episcoporum successio, tenet postremo ipsum Catholicę nomen, quod non sine causa inter tam multas hęreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conuenitur? nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Rursus idem August. contra partẽ Donati, inquit, sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo patrem quis cui successit videte, ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

His redarguti paucis Augustini solius sententijs, moderni Theologistæ, vereri certo deberent, alijs indicare se, vel non legisse, vel si legerint, non confiteri, tot tantorumque Summorum Pontificum testificationes quę à temporibus Apostolorum conrectæ sunt, & se ipsos, & Episcopos omnes, atque sacros clericos immunera

aut

[illegible] ſemper fuiſſe à poteſtate Principum ſecularium, ſi nole-
rent inter contentioſos ſchiſmaticos computari.

CONCLVSIO VNDECIMA.

Dicere, quod exemptiones, & immunitates Eccleſiaſticæ primo ſint, & ſolummodo in Eccleſia ex commiſſione, & priuilegijs Principum ſecularium, eo quod clarum ſit leges eorum, & priuilegia reperiri paſſim, non ſimul conceſſa præſertim in codice Theodoſiano, & in nouellis Iuſtiniani, error eſt ſuperiori conſimilis, & ab eo eſſentialiter dependens. quo (vt ſuperius iam) deſtructo fundamento, & ipſum fundatum corruere neceſſe eſt: quia ſi legiſſent teſtimonia, ſententias, atque decreta tot martyrum glorioſiſſimorum, atque Pontificum à Clemente, vſque ad Syluestrum, ſaltem, non adeo temere hoc ipſum aſſerere auſi eſſent. Nam dum ſententiæ tot, tantorumque Patrum Eccleſiæ Catholicæ fundatorum, conteſtentur immunitatem hanc Eccleſiaſticam per Apoſtolorum traditionem de ipſius Dei, & domini noſtri voluntate, ordinatione, & præcepto, adductis etiam rationibus ex diuina ſcriptura deſumptis in Eccleſia Catholica eſſe conſtitutam, de neceſſaria conſequẽtia venit concludendũ, quod ipſę leges, conſtitutiones, & decreta Principum ſecularium, quæ hanc immunitatem ordinant, diſponunt quoquo modo, ac obſeruandam ſub pœnis præcipiunt, non ipſam conſtituunt tanquam ab ipſis intelligenda ſit primo, & per ſe nouiter conſtituta, ſed ipſam olim à temporibus Apoſtolorum Dei ordinatione, & præcepto conſtitutam, & à Summis Pontificibus, iiſdemque glorioſiſſimis martyribus ab ipſo Apoſtolorum tempore, pro temporum, & rerum occurrentium contingentia diſpoſitam, & promulgatam, ſuo modulo confirmant, corroborant, tuentur, & protegunt, obſtacula, & impedimenta renitentium amouendo per ſuum ſeculare, & imperiale brachium ad hunc effectum ab ipſo Deo ſibi ipſis conceſſum, quemadmodum conteſtatur Sanctiſſimus Leo I. vt in ſuperioribus eſt recenſitum cum. 10. epiſtola 94. ad Epiſcopos, & presbyteros intra Thraciam conſtitutos, quam tandem vtique veritatem confeſſus eſt, & conteſtatus Martianus Catholicus, & religioſiſſimus Imperator coram Patribus in Chalcedon ſynodo congregatis (vt à nobis etiam ſuperius eſt recenſitum) per illa verba, [illegible] Quædam capitula ſunt, quæ ad honorem veſtræ reuerentiæ vobis reſeruauimus decorum eſſe iudicantes à vobis regulariter potius firmari per ſynodum, quam noſtra lege ſanciri, quibus manifeſte declaratur immunitatem Eccleſiaſticam Dei ordinatione conſtitutam, Apoſtolorum traditione allatam, formuliſque, & ſan-

ctioni-

ctionibus Canonicis specificatam, per sacras Imperatorum leges fuisse solummodo confirmatam, ac nomine imperiali, brachio scilicet præpotenti, per diuinam potentiam ad hoc ordinato custoditam, fartam, tectam. Et vt nostra hæc vndecima Conclusio exactiori periodo compleatur, lubenter superaddam. Quod si ipsi nobiles Veneti, qui hactenus Theologis suis istis aures faciles præstitere, à sapientibus, & integris sibi legi facerent scripta saltem Sanctissimorum Pontificum ad Principes seculares qui pro tempore secure, & libere scripserunt, quemadmodum fuere Marcellus Papa I. Anno D. 304. ad Maxentium Imper. eundemque infidelem, & Christianorum inimicissimum. Bonifacius I. Anno D. 419. ad Honorium Augustum fidelem, atque Catholicum. Gelasius I. Anno D. 462 ad Anastasium Imp Pelagius I. Anno D. 555. ad Regem Francorum Imp. Ioannes III. Anno D. 571. scribens Episcopis de Iustino Imperatore. Gregorius I. Anno D. 590. ad Mauritium Imp. Nicolaus I. Anno D. 858. ad Michaelem Imp. per seipsos absque alio doctore certissime concluderent, quod hi Sanctissimi Pontifices dum ad Principes prænominatos scribebant, hoc vtique faciebant, non ad supplicandū, aut persuadendum illis, vt immunitatem Ecclesiasticam concederent, sed vt illam Dei ordinatione constitutam, & Apostolorum traditione pronunciatam non conturbarent, sed defenderent: sicuti, & intrepide fecerunt, Marcellus Maxentium redarguendo, Bonifacius Honorium collaudando, Gelasius Anastasium admonendo, Pelagius Regem Francorum reprehendendo, Ioannes Iustinum arguendo; Gregorius Mauritium instruendo, Nicolaus Michaelem increpando, sicuti ex ipsorum Pontificum scriptis apertissime constat. Hinc ipsi Venetæ Reipublicæ Rectores animaduertentes se à Theologis istis falso instructos, certo certius concluderent, quod immunitas, & libertas Ecclesiastica non à Principibus secularibus per sua Priuilegia fuerit primo concessa, sed Dei ordinatione, & præcepto per traditionem Apostolorum, & Patrum constituta, vti tot Sanctissimi Pontifices contestantur. Et quod Principes per suas passim leges conditas, & decreta, iure diuino prius iam constitutam, postea corroborarunt, & confirmarunt tantummodo, & à contradicentibus defenderunt suo præpotenti brachio seculari. Hinc falsitas manifesta declaratur Pauli Seruitę Theologi Veneti, dum in sua consideratione fol. 32. dicere non erubescit, quod Romani Pontifices ab Anno D. 1160. & postea ediderunt primo decreta exemptionis clericorum in illis capitulis, quæ citat ipse in margine, scilicet c. at si clerici, de iudicijs, cap. clerici, eod. m tit. c. cum non ab homine, & cap. qualiter, & quando eod. ti. falsum assertum, & temere sine debita consideta-

ſideratione eſſatum. Et quia Summi Pontifices illi, qui ab eo anno Eccleſiæ præfuerunt, vt ſunt Alexander III. in eod. cap. At ſi clerici. Lucius III. in cap. clerici. Clem. III. in cap cum non ab homine, & Innoc. III. in cap. qualiter, & quando eod. tit; vt patet ex expreſſa textuum littera, inſinuant non à ſe ipſis, exemptionem clericorum eſſe primo ſtatutam, ſed in Eccleſia antiquitus conſtitutam, vt Lucius Papa expreſſe dicit in c. clerici, per illa verba, Non debet in hac parte Canonibus ex aliqua conſuetudine præiudicium generari. Canones namque quibus dicit non debere generari præiudicium, præſupponit eſſe antiquiſſimos in Eccleſia à temporibus S. Apoſtolorum. Hi namque Pontifices probe nouerant, nec vllo pacto ignorauerant (quemadmodum ſciolus iſte Venetus certiſſime ignorauerit) teſtimonia, ſententiæ, atque decreta pronunciata à Clem. I. vſque ad Gregorium I, & deinceps ab alijs prædeceſſoribus ſuis, vſq; ad ſua tempora, quos ſi primo primos talia exemptionis decreta edere opus fuiſſet, alijs & verbis, & ſententijs atq; clauſulis, cauſas vrgentes ad ſic decernendum indicantibus ſua reſcripta communiiſſent, vt conſuetum eſt efficere Pontifices in decretis à ſe primo conditis, quod ſi alicubi, vt ſciolus iſte ibidem dicit, quod in Italia, Hiſpanijs, & Gallijs puniantur clerici delinquentes non obſtantibus præfatorum Pontificum decretis, hoc (ſi in aliquo verum eſt) certum tamen eſt, quod non prouenit ex eo (vt ipſe dicit) quod decreta horum Pontificum ab Anno, videlicet 1160. non fuerint alicubi recepta integre, ſed ex cauſis illis quas Damaſus PP. Leo I. & Concilium Carthag. primum aſſignant, ſcilicet ex prælatorum conniuentia, clericorum inobedientia, & tyrannorum Principum vſurpatione, vt in prima Concluſione ponitur per extenſum.

CONCLVSIO DVODECIMA.

Dicere, & pertinaciter aſſerere, quod Principes ſeculares de ipſius Dei authoritate, ſeu immediate conceſſa, poſſunt iudicialiter cognoſcere perſonas Eccleſiaſticas in cauſis tam ciuilibus, quam criminalibus, quaſi ſibi Dei ordinatione ſubiectis, error eſt manifeſte hæreticalis, & deterior errore Vuiclefi condemnato in Concilio Conſtantienſi, vt conſtat ſub Bulla Martini Papæ Quinti in fine Concilij. Quia ipſe Vuiclef ar. 16 dicebat dominos temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, & iſti dicunt poſſe Principes perſonas Eccleſiaſticas iudicialiter cognoſcere, cum perſonarum immunitas principaliter ſit à domino inſtituta, & bonorum Eccleſiaſticorum ſecundario, & acceſſorie, atq; ex naturali conſequentia.

Quam

Quem errorem primo adinuenerunt, vt refert Ioannes à Turrecremata. Marsilius de Padua, & Ioannes de Ianduno condemnatum per extrauagantem Ioannis Papæ XXII. quæ incipit licet iuxta doctrinam. Error certe hic quem hodie exsuscitant Ecclesiæ Catholicæ inobedientes, ab ipsis Apostolorum temporibus iam extitit virtualiter, & equiualenter semper condemnandus, & condemnatus, virtute traditionis Apostolicæ per seriem tot Sanctissimorum Pontificum promulgatam, quod nulla prorsus potest tergiuersatione celari quemque errorem, vt suo loco recensitum est (num 19) suo tempore Gregorius Papa VII. dixit. Miserabilem esse insaniam.

Et vt omnes viri pij, omnesque catholici Principes cognoscant præfatum errorem, quem hodie ab Orco resuscitat quidam Theologus Venetus, quòd, error sit idem prorsus quem ducentis ab hinc annis Marsilius Paduanus in auram illam Principum delicatam inuexit, non omittam huc afferre fideliter, & originem, & continuatiam erroris istius. Etenim sicuti colligitur ex Aluaro Pelagio, qui tempore Ioannis Papę XXII. fuerat pęnitentiarius, & ab eodem electus Episcopus Siluensis. de planctu Ecclesiæ li. 1. cap. 45. Io. Cardinale à Turrecremata, in summa de Ecclesia par. 2. li. 4. cap. 37. & refert largius Albertus Pighius de Ecclesiastica Hierarchia li. 5. cap. 1. Ludouicus Bauarus, Imperator non legitime electus, sed certe merito à Io. Papa XXII. tunc Dei Ecclesiam moderante fuit publice excommunicatus, tanquam Sedi Apostolicæ inobediens, & schismaticus. Cuius Imperatoris partes suscipiens Marsilius de Padua homo magis Aristotelicus gimnasta, quam in sacris litteris, & Patrum doctrinis leuiter eruditus, satagens Imperatorem potius ex contumace hæreticum facere, quam veritatem instruere eundem. Edidit quandam apologiam, in qua contendit astruere ex ipsa Christi Domini Nostri lege, nulli Episcoporum, nec etiam Romano Pontifici, neq; alteri prælato Ecclesiastico competere iurisdictionem aliquam, & superioritatem, statuendi leges, aut quidquam præcipiendi, vel obligandi quemlibet laicum, neque illam habere potestatem super sacerdotes, & clericos quoscunque, sed potius Episcopos omnes etiam Romanum ipsum Pontificem, cæterosque clericos, subiectos esse Principibus secularibus. Et quod omnia personarum Ecclesiasticarũ exemptio, quæ in Ecclesia reperitur per humanam Legislatorem concessa fuerit, in cuius potestate sit semper eandem ab ipsis remouere, presertim rationabili suadente causa. Suam hanc falsam sententiam exemplo, & doctrina Christi Domini nostri conatus est confirmare, dicens, quod Christus non venerit in mundum dominari hominibus, nec ipsos iudicare per sententiam Principatus,

tur, ne vim aliquam coactiuam, neque temporaliter, principarij ſed magis ſubijci Principibus huius ſeculi. Quod totum putat oſtendere, primo per locum illum Euang. Io. 19. in quo dicit Chriſtum Dominum confiteri poteſtatem eſſe in Pilato ſuper ipſum, & confirmare cenſet per authoritatẽ Auguſtini, qui eundem Euangelij locum explicans inquit. Hoc dixit, quod & per Apoſtolum docuit, quod non eſt poteſtas niſi à Deo, & per authoritatem quoque Diui Bernardi in epiſtola quadam ad Archiepiſcopum Senonenſem dicentis. Cum Romani Præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur cælitus ordinatam, & cæt. ex quibus verbis infert Marſilius, quod ſi ſuper Chriſtum, quanto magis ſuper Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Epiſcopos, & presbyteros? Secundo ſuam opinionẽ confirmare cõtendit dicens, quod Chriſtus Dñs negauerit ſuis diſcipulis ſuperioritatem coactiuam per illa verba Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum, &c.* Tertio authoritate Apoſtoli ad Rom. 13. Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, &c. Quarto, exemplo eiuſdem Apoſtoli, qui declinans iudicium ſacerdotum, & Pontificum Iudeorum Cęſarem appellauit act. 25. Ex his putat ſufficienter demonſtrare, quod Epiſcopis, & Romano etiam Pontifici nulla competat poteſtas coactiua in quẽcunque tam laicum, quam etiam clericum, niſi eadem per Legiſlatorem humanum Principem fuerit conceſſa, in cuius poteſtate eſt ſemper eandem ab ipſis reuocare.

Hæc eſt continentia ſummarie deſumpta erroris, Marſilij tunc Paduani: & hanc in ſua formali littera cum allegationibus eiſdem aſſumit præfatus Theologus Venetus, quamque ab eodem viro addiſcentes ſuſcipitne Venetæ Reipublicæ nunc Rectores, putantes audire oracula vera ſacrarum ſcripturarum, & Patrum, pro ſtabilienda ſua ipſorum prætenſione; Minime conſiderantes vnde ſententiam, & allegationes acceperit Theologus iſte ſuus, quod certe ſi animaduerterent, vt oporteret eoſdem, ſemper prudentes pios, & religioſos Principes, eandem eſſe opinionem, & eadem omnia adduci argumenta, quæ olim tempore Ludouici Bauari Imperatoris Schiſmatici, ab omnium malorum inuentore Lucifero, edoctus fuit Marſilius tunc Paduanus, Hæreticus condemnatus horrore certo certius rationabili timerent eorum omniũ aniſe aures; Conſpicientes, quod in facie totius *Eccleſiæ* Catholicæ rationes has pro ſua prætenſione non è fontibus illimibus dictorum Catholicorum, ſed e feculento cœno hæreticorum ebiberint; Cum quibus ex ſola participatione, & prætenſionem ſuam labefactant, & nomen ſereniſſimum detrapant.

Veruntamen præſatorum ſacri Euangelij locorum veram, &

Catholicam interpretationem ex Patrum doctrina in noſtra Concluſione Nona ſuperius iam clare, copioſe in medium attulimus. Interim ſolummodo admonitos exoratem Principes ſeculares ad quos ſpectat audire, ne aures adeo faciles præſtent, ac prurientes, Magiſtris ſcalpentibus, qui antiquam ſibi perſonant cantilenam, & veterem intexunt fabulam dicentes. Quod. ſ. Romanus Pontifex nullam diuinitus ſibi conceſſam habeat authoritatem corripiendi Principes ſeculares; ſed ſi quam habere prætendit, ſibi vſurpaſſe tyrannice: hęc namque fuit vetus cantilena, quæ in aures prurientes Henrici IV. Imperatoris per Vuicclefum, & Ludouici Bauari per Marſilium Paduanum Hæreſiarcham docentem, illoſque in ſchiſmata ſeduxit, & hæreſes. Nam quod ſummus Pontifex vere, & legitime ſibi collatam à Deo contineat poteſtatem ſuper omnes Principes fideles, ſuo inquam eminenti, ac Pontificio modo breui ſimul, & præpotenti argumento faciliime demonſtrare poſſe beeor hoc pacto. De ipſius Catholicæ fidei ſubſtantia eſt, quod Eccleſia Chriſti, quæ nunc domus, & ædificium Dei nuncupatur, nunc columna, & firmamentum veritatis, nunc grex ouium Chriſti, nunc Sponſa, & corpus eius: inter cæteras omnes eſſentialiter competentes notas, eam ſibi primam vendicat, Quod ſit vna, ſic enim habet Nicæni Concilij Symbolum, tanquam de fidei Catholicę ſubſtantia, *Credo vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*. Sed non poteſt aliter vnitas in Eccleſia retineri, quam ſi præſit vnus, hoc vtique modo voce ſua incōdita clamat ipſa natura. Hoc in apibus, hoc in gruibus, hoc in alijs etiam pleriſque brutis animantibus eſt videre, habent vtique caput vnum, & ducem vnum, quem ſequuntur. Sic in arboribus conſpicimus ſ Ramuſculos multos ad vnam virgam, multaſque virgas ad ramum, & multos ramos ad ſtipitem, multoſque ſtipites ad radicem vnam infigi, vt omnia conſocia euadant, & de eodem ſucco qui eſt in radice participent: quemadmodum ab Apoſtolo dicitur.
Rom. 11. Cuilibet fideli *Socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es*. Quod ſi in naturis rerum, multo magis fieri neceſſe eſt in humana hac ſocietate, quæ niſi ab vno aliquo gubernetur perſiſtere nequaquam poteſt. Vnum itaque toti Eccleſiæ Chriſtianæ præeſſe, adeo neceſſarium eſt, vt abſque hoc, Eccleſia vna eſſe non poſſit, & ſi Eccleſia vna non eſt, porro Eccleſia Chriſti non eſt, quæ idcirco Eccleſia Chriſti eſt, quia vna eſt, vt fidei habet regula. Propterea Apoſtolus ad fundamentum vnitatis illius alludens inquit.
Ephes. 4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & in omnibus nobis*. Et ad vnitatem hanc conſtituendam ipſe dominus per Ezechielem Prophetam dixit

dixit. *Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudica-
bo inter pecus, & pecus, & ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum qui pa- Ezech. 34.
ſcat eas.* Et in Euangelio. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc Ioan. 10.
ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum
ouile, & vnus Paſtor.*

Vnus vero hic paſtor, quoniam Eccleſia, vſque ad finem ſeculi
perdurat, Petri Apoſtoli ſucceſſor ſit, oportet. Inde eſt, quod
ſicuti Eccleſia eſt vna, ita & Apoſtolica ſit, & eſſe dicatur, neceſ-
ſe eſt; vt in eodem Symbolo Patrum continetur. *Et vnam Sanctam
Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* Et quamuis ipſe Dominus
Noſter Ieſus Chriſtus ſit ille vnus, & bonus paſtor ouium, & to-
tius Eccleſiæ Chriſtianæ caput, ſecundum illud Apoſtoli. *Et omnia
ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam,* Ephes. 1.
quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.
Nihilominus ipſe dominus, qui paſtor, & caput eſt Eccleſiæ,
Sciens quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Et Ec- Ioan. 13.
cleſiam ſuam hanc viſibilem in terris ſua præſentia corporali de-
ſtituendam fore, cum tempore paſſionis oraſſet ad patrem pro
fidelibus quos ſibi pater dederat dicens. *Pater Sancte ſerua eos in
nomine tuo quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Quo facilius, Ioan. 17.
& conſtantius vnitas hæc Eccleſiæ tempore perpetuo, vſque ad
finem ſeculi retineri poſſit, poſt ſuam Sanctam Reſurrectionem,
aſcenſurus ad patrem, vni ſuo Vicario Eccleſiæ ſuæ curam de-
mandauit, vni inquam Petro paſcendas ſuas omnes oues com-
miſit dicens. *Paſce agnos meos, & paſce oues meas*, atque vnum
illum Principem tunc, & antea deſignauit pluribus argumentis,
vt ipſe, ſcilicet in cœlis eſſet, auctor vnitatis perpetuæ, & Pe-
trus, & quiſquis in Petri Epiſcopatu ſucceſſiſſet eiuſdem vnitatis
conſeruandæ Paſtor, Dux, Princeps, & caput in terris habere-
tur. Nam quod vni ſingulariter in præſentia reliquorum Apoſto-
lorum, ac diſcipulorum ab omnibus ſingulari nota diſcreto, vni-
uerſi ouilis ſui Regimen, & Eccleſiæ curam demandauerit, ipſe Do-
minus Noſter Ieſus Chriſtus, clariſſimis verbis ſacra docet Euan-
gelica ſcriptura, illis namque quæ habentur Ioannis 1. videlicet.
*Intuitus autem eum Ieſus dixit. Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Ce-
phas, quod interpretatur Petrus.* Vnum Simonem inter alios pro-
nunciauit Cepham, hoc eſt ſaxum, ſcopulum, rupem, petram,
ſuper quam poſtea affirmauit ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam di-
cens. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,
&c.* Quod igitur dominus ipſe conſtituerit Petrum caput Eccle-
ſiæ ſuæ, ſuumque in terris Vicarium, de fide in Euangelio Sacro
expreſſa tenendum eſt. Et quoniam de eadem fide expreſſum ha-
betur, quod Chriſti Eccleſia viſibilis duratura ſit vſque ad finem

ſeculi, diemque iudicij vniuerſalis, de eadem fide eſt, quod poſt mortem Petri, ſucceſſor eius, & Chriſti Domini, equalis poteſtatis Vicarius, de ipſius domini inſtitutione remanſerit, & ſemper ſucceſſor erit, dum Eccleſia viſibilis permanebit, alioquin Eccleſiæ vnitas, quæ de eadem fide eſt, ſeruari non poſſet, vt dictum eſt.

Hæc autem vna Eccleſia, Regnum, ouile, ſocietas vniuerſitatis Chriſti fidelium: neceſſe eſt, quod ſit ordinata, ita vt dicatur, & ſit Hieruſalem, pacis viſio, & vnitas, non Babilon, & confuſa multitudo, ſed quæ condita eſt, veluti quædam Ciuitas nobiliſſima, cuius ciues in vnum coeunt, vt inquit Propheta. *Ad confitendum nomini domini*; Sed in vnum omnes conuenire non poſſunt, niſi vni Principi omnes præſtent obedientiam, atque Princeps ille ſit ſuper omnes vniuerſitatis ciues indifferenter. Quod vero omnes fideles indiſcriminatim de ipſius Dei ordinatione teneantur obedire huic Principi, & capiti, admonuit à primis illius eiuſdē Eccleſię ſ tēporibus Ignatius martyr glorioſiſs Apoſtolorū diſcipulus, epiſtola ad Magneſianos dicens. Dignum eſt vos obedire *Epiſcopo* veſtro, & in nullo ei contradicere, non enim illum viſibilem quis ſpernit, ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt à quoquam contemni, hic enim non ab homine, ſed à Deo habet promotionem. Hinc omnes Chriſtifideles ſcire, & intelligere oportet, quod nemo ſit exemptus ab authoritate huius Principis Eccleſiæ, ſi inter oues Chriſti voluerit connumerari, nam omnes oues ſuas Chriſtus Dominus aqua ſalutaris baptiſmatis intinctas ſine diſcrimine eidem Principi Vicario ſuo ſubiecit, cum dixit Petro. *Paſce agnos meos, paſce oues meas*. Illi autem cui committitur vniuerſitatis alicuius regimen, neceſſarium eſt conſequenter, quod ab eodem Hierarcha committente collata ſit poteſtas ſufficiens ad regendum omnes de vniuerſitate illa, & ijs omnibus ab eodem impoſitam eſſe obediendi neceſſitatem, ſine qua poteſtate in Principe commiſſario, & obſequendi neceſſitate in ſubditis omnibus, nulla congregatio nec vnius domus familia, regi, & conſeruari poſſet, ſed neque ad hoc ſupremum munus, regendi Eccleſiam ſuam dominus elegit nobiles ſecundum carnem, non duces ſeculi, non Reges, non Imperatores, aut aliquem huiuſmodi Principem, ſed vt Paulus ait; *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*, hoc eſt Petrum piſcatorem elegit, & eius in perpetuum pro tempore ſucceſſorem. Quanta vero, & quanta ſit huius Eccleſiaſticæ Hierarchię Principis authoritas, ex illis Dei & domini noſtri verbis Matthæi. 16. *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, &c.* & Ioannis 21. *Paſce oues meas*. Euidentiſſime conſtat, quod ſit talis

pſal. 121.

1. cor. 1.

ac tan-

ſe tanti, ſque valeat omnes fideles tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares, tam Principes, quam populares in via ſalutis dirigere non ſolum in his quæ ſunt fidei, ſed etiam in his, quæ ſunt morum ſalutarium, & obſeruationis præceptorum: eo quod non ſola fides in adultis ad ſalutem neceſſaria eſt, ſed etiam opera, vt habet fides Catholica per Iacobum Apoſtolum ex tunc ſpecialiter pronunciata dicentem, *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt*. Iacob. 2. Quotieſcunque igitur fidelium quiſpiam in fide, aut moribus à recto declinauerit, ille Princeps Eccleſiæ Catholicæ poteſt, & tenetur ad callem veritatis tam fidei, quam vitæ reducere ſua doctrina, & opportuno præcepto. Nec proinde indignari debent Reges, Imperatores, Principes, & Magiſtratus, cum audiunt ſe rectori ſupremo Eccleſiæ Chriſti ſubeſſe, quia omnipotens, & æterna illa Dei ſapientia hoc ordinauit, & per Iſaiam Prophetam ex tunc pronunciauit dicens. *Et aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte nõ claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur, gens enim, & Regnum quod non ſeruierit tibi peribit, gentes ſolitudine vaſtabuntur*. Iſaiæ 60. Subiiciendi igitur incumbit omnibus iſta ſeruitus, qui de ouili Chriſti voluerint eſſe.

Vnde omnes Reges, & Principes ſæculi, qui de ouibus Chriſti eſſe voluerunt, hæc intelligentes diuino illuſtrati lumine fidei Catholicæ, ſua ſceptra, & vniuerſam ſuã authoritatem Eccleſiaſticæ authoritati ſubeſſe libenter agnouerunt, & ita ſaluti ſuæ neceſſarium fore, ſic ordinante diuina prouidentia. Et vt ad ſpecialia deueniamus exempla. Ecce quomodo à Carolo Magno Pipini filio vſq; ad Rodulphum Auſtriacum omnes Imperatores agnouerunt ſuum Imperium habere, tanquam dependens ab authoritate Eccleſiaſtica ex eo quod Leo Papa Tertius, Cum omne Occidẽtis Imperium ſubtractum reperiretur Imperio Romano, illud reduxit ad partes Occidentales, quodq. continuata ſerie ſecundum hanc reductionem perdurat, quiq; Imperatores omnes Occidentales à tali reductione per Romanum Pontificem facta, ſuam recognoſcunt Imperialem authoritatem. Eandemq. nec minus legitimam quam illam, quæ ante Carolum Magnum, à Iulio Cæſare ducebat originem. Sic etiam eo tempore, quando ſub Zaccharia Summo Pontifice, Hildericus Galliarum Rex ob ſuam ſocordiam meruit Regno Galliarum ſpoliari, in cuius loco, & Regni dignitate ſuffectus eſt Pipinus Caroli Magni pater, opera, & poteſtate ipſius Zaccharie præſidis Eccleſiaſt. hierarchiæ, tũc inde Pipinus ipſe pro ſe ſuiſq; ſemper ſucceſſoribus Apoſtolica authoritate ſacram accepit vnctionem, adminiſtratam ſibi per Sanctum Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, quam vnctionem, vſq; in hodiernũ

diem

dem omnes ſuo ordine ſuccedentes Reges accipiunt de Romani Pontificis authoritate, quo facto tanquam ſigno expreſſo proteſtantur ſuam Regiam authoritatem dependere à Romano Pontifice. Quam quidem formam, quodq. exemplum omnes Chriſtiani orbis Reges ſequuti, Summi Pontificis authoritati ſe ſe ſubmittere oſtendunt, dum ſacram in vnctionem fatentur ſe de manu Romani Pontificis obtinere.

His præmiſsis, facile quiſq; percipiet quam impie, & falſò dicãtur ab aduerſariis, Romano Pontifici ex iure diuino nullam competere authoritatem ſuper omnes alios Epiſcopos, reliquoſq. Eccleſiaſticos gradus, & ordines, & eo minus ſuper Principes, Reges, & Imperatores. Cum ex ipſius Dei prouidentia, & inſtitutione ſit ordinatum in ſua Eccleſia, vt vnitas quæ de ſubſtantia fidei eſt, perpetuo conſeruetur per gubernationem vnius ſupremi Vicarij eiuſdem Chriſti, & ſucceſſoris Petri. Comprobatur totum per locum ab abſurdo, & inconuenienti, quod ex contrario oriretur, nã vt exemplo pateſiat ratio. Ecce tot Chriſtiani Principes reperiuntur in hac Dei Eccleſia adeo exempti, & liberi, vt nemo ipſorum alteri ſubdatur nec alium ſuper ſe recognoſcat Principantem, vtì ſunt Imperator, Rex Galliarum, Rex Hiſpaniarum, Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, & alij quam plures. Si inter hos tam multos, quæſtio oriretur, & controuerſia in qua vni non videretur cedendum alteri, niſi ſola armis id decideretur, nonne maxima eſset in hac Dei Eccleſia confuſio? & certiſsima Babylonia? Neceſſarium igitur fuit ad formam vnitatis Eccleſiæ conſeruandam: vt vnus ſuper omnes taliter præſit, qui ſua ſibi diuinitus data authoritate omnium horum lites, & controuerſias componeret, & terminaret, quã obrem Patres generaliſsimi illius Concilij Lateranenſis ſub Innocentio Tertio celebrati, de ipſorum omnium atq. vniuerſalis Concilij ſententia in declarationem, & formam hierarchiæ, & vnitatis Eccleſiæ Chriſtianæ decretum ediderunt, vt quoties Chriſtiani orbis Principes, qui nullum alium recognoſcerent cui ſubiacerent in temporali, quando alter in alterum, aut in ſuos ſubditos delinquerent, tunc eorum correctionem ad Romanum Pontificem pertinere; In Concilio quoque generali Florentino ſub Eugenio Quarto ſic decretum eſt. Definimus Sanctam, & Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere primatum & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq. Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorũ Conciliorum, & in

Refert Alb. pigh. de pot. eccl. contr. 36.

ſacris

ſacris Canonibus continetur; cui decreto, tã Latini, quã Græci etiam oẽs conſenſum præſtitere, vt patet in vlt. Concilij ſeſſ.

Ex his omnibus ita propoſitis. Clare videtur demonſtratum, ꝑ pes Pontificem Romanum iuriſdictionis authoritatem diuinitꝰ collatam eſse, non ſolum ſuper cęteros omnes Epiſcopos, vniuerſoſque ordines Eccleſiaſticos; ſed etiam ſuper omnes Imperatores, Reges, Principes, qui inter oues Chriſti volunt annumerari; non inquam authoritatem illam, qua collatur illis ſua ciuilis authoritas, ſed certe qua eoſdem delinquentes in ſua ipſorum adminiſtratione, poſsit corripere ſecũdum leges diuinas. & Eccleſiaſt. per cenſurarum fulminationem, atq; etiam ſi opus fuerit contumaces, dignitate, atq; magiſtratu priuare, tanquam incorrigibiles, & pacem vniuerſalis Eccleſię conturbantes, aut etiam in gubernatione inutiles eiicere de ſede, & in locũ eorũ alios ſufficere de præmiſſa denũciatione, & cõſenſu illius vniuerſitatis cui præſunt, iux. illud Matt. 18 *Dic eccleſiæ, & ſi eccleſiã nõ audierit, ſit* aut ẽt ſufficiẽdos mãdare per eos ad quos eorũ electio aliquo ſpeciali iure pertineret. Quemadmodũ, nõ ſemel effectum eſſe narratur, & legitur. Sicut in cap Alius 15. q. 6, vbi Gelaſius Papa dicit. Quod Romanus Pontifex Zaccharias ſcilicet, Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo quod tantę poteſtati erat inutilis à Regno depoſuit. Sicut in cap Grandi, de ſupplen. neg. præl. in 6 Innocentius Papa 4. Regi Portugalliæ dedit coadiutorem illius fratrem, & Regni Gubernatorem præfecit, Sicut in cap ad Apoſtolicæ de ſent. & re iudi. in 6. Idem Innocẽtius cum toto Concilio Lugdunenſi, Fedéricum ſecundum Imperatorem, prius a Gregorio IX. excommunicatum, omni honore, & dignitate priuauit. Sicuti Gregorius Papa VII Henricum IV. Imperatorem depoſuit, & ſicuti Ioannes Papa XXII. Ludouicum Bauarum priuauit imperio, vt narrant fideles hiſtoriæ; neq locus relinquitur amplius illi pueriſcatæ hæreticorum cantilenæ, quod ſcilicet, authoritatem tã iſta efficiendi præfati Pontifices tyrannice ſibi vſurpauerint. hæc vtiq. impia, & ſumma eſt, & fuit ſemper blaſphemia cum non armis, & exercitibus copijſque parentis hoc fecerint, ſed ſpirituali gladio, quem euaginatum ipſe dominus cõceſſit Petro, Et neq alio certiſsime ducti ſpiritu, niſi eodem quo ductus fuit Sãctus Ambroſius Mediolani, cum Theodoſium obiurgauit, propter cędem Theſſalonicę factam, & ingreſſu Eccleſiæ interdixit qui Imperator potẽtiſsimus non armorum vi, aut extrapotẽtia cuiuſquam compulſione humiliatus confeſſus eſt, & Dauidem Regem penitentem ſecutus. Eodem certe, quo Spiritu ductus eſt Sanctus Ioannes Chriſoſtomus, qui ſimul ac baculum paſtoralem Eccleſiæ Conſtantinopolit. ſuſcepit, depravatos mores, & nobiliorum hominum vi- num 46

vendi licentiam, vehementius cœpit obiurgare & ad argenteam ſtatuam Eudoxæ Imperatricis in foro S. Sophiæ ludos fieri fortiſſime prohibuit. Ac ipſo eodem ſpiritu, quo Gregorius Nazianz. Epiſcopus redarguit præſidem iraſcentem, ad quem ſcribens, audacter dixit. Dedit nobis Deus poteſtatem, & principatum multo præſtatiorẽ Principatibus veſtris. & ſexcenti aliiq; quæ percenſere amplius non oportet. non ergo tyrannide, ac vi temporali aliqua hanc poteſtatem arguendi, & corrigendi laicos Principes Sãcti Epiſcopi, & Sanctiſſimi Pontifices ſibi vſurparunt, ſed vi ſpirituali coactiua illa, quam Deus ipſe dederat Cephæ, Matthæi 16. cæteriſque Apoſtolis Matth. 18. omniumq. horum ſucceſſoribus, dicens. *Quodcunque ligaueris ſuper terram &c. & Amen dico vobis quæcunque alligaueritis ſuper terram, &c.* Satagant igitur omnes fideles Principes Romano præſuli morem gerere, & in præceptis ſalutaribus obedire, quoniam totum hoc de fide, & præcepto Dei ipſius eſt. vti clare, & expreſſe concluditur in conſt. vnam ſanctam de maior. & obed.

CONCLVSIO DECIMATERTIA.

SIcuti non omnia clericorum bona, ita neq. omnes in vniuerſũ clerici, de ipſo diuino iure ſunt immunes a poteſtate principũ ſecularium, pro qua concluſione demonſtrandã, ſummopere eſt adnotandũ diſtinctio: Quod bonorum temporalium Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum duo ſunt genera, vnum eſt, eorum bonorum quæ iuris Eccleſiaſtici ratione adminiſtrationis ſacrorum, & eorum curæ ſunt credita, cuiuſmodi ſunt decimæ, oblationes, data à Deo, cauſa animæ, & quoquo pacto collata Eccleſiæ in communem miniſtrorum Eccleſiaſticorum ſuſtentationem: & ſimilia. Alterũ eſt illorum bonorum quæ aliunde clericis obueniunt, videlicet emptione, donatione, fideicommiſſo, ſucceſſione, quæ perſonarum ſingularum particularium ſunt patrimonialia: diſtinctio iſta colligitur ex ſacris canonibus, 12. q. 1. c. Epiſcopi ei manifeſti, & c. ſint manifeſtæ. vbi dicitur: ſint manifeſtæ res Epiſcopi, ſi tamen habeat res proprias, & manifeſtæ dominicę, vt poteſtatem habeat de proprijs rebus Epiſcopus moriens ſicut voluerit derelinquere. 1

Ad hæc facienda quoque eſt omnino diſtinctio ipſarum perſonarum Eccleſiaſticarum hoc eſt inter clericos, & clericos, nam in alia ſui gradus entitate veniunt collocandi ſacerdotes, diaconi, ſubdiaconi, atque minorum ordinum clerici, qui alicui Eccleſiæ ſeruiunt proprium exercentes officium, & diuino miniſterio actu vacantes, atque regulares Religionis approbatæ per Sedem Apoſtolicam: & in alia dignitatis ſpiritualis entitate, conſpiciendi veniunt clerici illi minorum ordinum, & primæ tonſuræ, atque

coniu-

coniugati, qui nullius Eccleſiæ miniſterio, & ſpirituali exercitio ſunt addicti, diſtinctio hæc perſonarum Eccleſiaſticarum, ſeu clericorum colligitur ex cap. 6. ſeſſ. 23. Concilij Tridentini de reform. Vbi ſic decernitur, vt clericus priuilegio fori non gaudeat niſi ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiat, vel in ſeminario clericorum, &c. His præmiſſis diſtinctionibus concludendum eſt, & primò, quod bona clericorum particularia, ſeu patrimonialia, ſiquidem per emptionem, vel donationem, vel ſucceſſionem acquiſita nõ ſunt de iure diuino exempta à tributis & vectigalibus, alijſque communibus oneribus; ratio eſt, quia non ſunt data Eccleſiæ, vt poſſint dici eſſe Sãctum Sanctorum domino, & ad ius pertinere ſacerdotum ea lege, vt in cap. nulli 12. q. 1. ſed hominis ſunt omnino priuati particularia, & propria, iuxta illud Sancti Ambroſij, in cap. conuenior, 23. q. 8. vbi ita inquit. Reſpondi, ſi à me peteret, quod meum eſt, id eſt fundum meum, argentum meum, & huiuſmodi meum, me non refragaturum. quanquam omnia quæ mea ſunt ſint pauperum. Vbi Ambroſius loquitur de bonis quæ ſunt clericorum propria ad differentiam illorum bonorum, quæ data, & oblata ſunt Deo, & ſunt Eccleſiæ communia, & ideo non reperiuntur immunia à grauaminibus communibus niſi de iure humano iam Pontificio, quam Cæſareo, nam ab antiquis temporibus eſt, quod clerici de bonis ſuis proprijs non quidem Eccleſiaſticis, & communibus, ſed proprijs, & ſecularibus, quæ poſſidebant tributa ſoluerent, vt patet in c. tributum, eadem cauſa per illa verba Vrbani Papæ I. videlicet. Tributum ex ore piſcis piſcante Petro inuentum eſt, quia de exterioribus ſuis, quæ palam cunctis apparent Eccleſia tributum reddit & ne quis dicat, quod c. tributum, loquatur de bonis ipſiuſmet Eccleſiæ. Ad hanc obiectionem reſpondet gloſſ. in princ. & in ver. (de exterioribus) ſic exponendo. De exterioribus. i. nõ de rebus Eccleſiæ. nã ea quod ſemel datũ eſt Eccleſiæ Sanctũ Sanctorũ erit Dño, ac ſup. eod. c. conuenior. nam etſi illud aliud verbum in fine c. (de exterioribus) gloſſa intelligere videatur, de ipſius Eccleſiæ rebus, dicit tamen ſic intelligi, de his tantum rebus Eccleſ. quæ cum onere ad Eccleſiam peruenerunt, vt in c. Cum non ſit in homine, de decimis Etenim nunquam de rebus Eccleſię ſoluerẽtur licite onera impoſita à Rectoribus Ciuitatum, niſi Epiſcopus, & Clerus tantam neceſſitatem, vel vtilitatem aſpexerint, vt abſque vlla exactione ad releuandas communes vtilitates, vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda: vt in Concilio Laterano. dictum eſt, & habetur in c. Non minus, de immunit. Eccleſ. Verum poſtmodum omnia clericorũ bona, etiam particularia, ſeu patrimonialia de plenitudine pote-

ſtatis Romani Pontificis facta ſunt à vectigalibus libera, & exempta, præter illa, quæ per negociationem clerici acquirerent, vt conſtat in c. quanquam, de cenſibus. lib. 6.

Et quoad perſonas ipſas clericorum cum illi ſoli de iure diuino perhibeantur exempti in ſerie recenſita Summorum Pōtificum, & Conciliorum Generalium, qui ordine ſacro ſunt inſigniti, & in ſortem domini trãſlati, iuxta cap. cleros, 21. diſt. & conſequenter de iuſti, & æqui ratione pariter alij minorum ordinum clerici qui in Eccleſia proprium exerceant officium, & diuino inſeruiunt miniſterio, ex Apoſtolorum antiquiſſima traditione, de neceſſaria colligendum eſt conſequentia, quod clerici prima tonſura donati, & ordinum quoque minorum, qui nullo Eccleſiaſtico ſeruitio ſunt dicati, clerici quoque coniugati non ſunt eodem diuino iure exempti à iuriſdictione Principum ſecularium, ſed ſolo iure humano Pontificio, vt conſtat ex cap. clerici, de clericis coniugatis in 6. vbi dicitur, quod priuilegium in fauorem totius ordinis clericalis ab Innocentio ſecundo, primò omnium conceſſum eſt, & planè quoque colligitur ex decreto ſacri Concilij Tridentini, vbi ſuperius in qua decernitur, quod clerici minorum ordinum, niſi ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiant, vel in ſeminario, &c. fori priuilegio non gaudent, nam dum authoritate Concilij clerici horum minorum ordinum non ſeruientes Eccleſiæ, &c. ſpoliantur priuilegio fori, certiſſime inſinuatur, quod iure diuino, ratione ſolius ordinis, non fuerant exempti, eo quia clerici minorum ordinum tunc cenſentur complere tranſlati in partẽ domini, quando miniſterijs, & ſeruitijs Eccleſiarum ſunt dedicati; quando vero talibus miniſterijs non reperiuntur addicti, quia non plenè effecti ſunt pars domini, idcirco de iure diuino tunc non ſunt dicendi immunitate donati, quia liberum eſt eis ad ſeculum tranſire, vxorem ducere, & gradui Eccleſiaſtico renunciare: quod tunc efficiunt, quando ſub Eccleſiaſtica regula amplius non tenentur, vt bonis moribus viuant, & canendis pſalmis inuigilent, iuxta illud Gregorij Auguſtino Anglorum Epiſcopo, cap. ſi qui vero. diſt. 32. Eſt quoque pro hac Concluſione complenda adnotandum, quod in præfato cap. clerici, de induſtria poſita ſunt illa verba (in fauorem totius ordinis clericalis) vt intelligamus, quod primitus erat quidem priuilegium ſacrorum clericorum, ſcilicet de iure diuino ſeruatum, illorum tanquam qui cultui diuino ſunt dedicati, ſed ipſe Innocentius poſtea de poteſtatis plenitudine idem priuilegium extendit, ſeu verius attribuit ad omnem clericum, ſuperimponens excommunicationis ſententiam in omnem, qui ſuadente diabolo, hoc eſt cum iniuria clericos percuſſerit, vt in cap. ſi quis ſuadente 17. q. 4. Quod-

Seſſ. 23.

cunque

naique Summus Pontifex omnes clericos cum ſuis ipſorum bonis particularibus potuerit ab exactionibus cōmunibus, & foro Principum ſecularium eximere. Hinc conſtare poteſt vel docte Dominicus Sotus vbi ſupra declarat, quia poteſtas Eccleſiaſtica eſt per ſe ſufficiens à ciuili poteſtate independens, & ideo liberum eſt ei, atq; conueniens ex debito condere leges, quæ ſuæ adminiſtrationi ſunt, vel neceſſariæ, vel congruentes. Exemptio autem omnium clericorum non ſolum eſt congruens, ſed certe moraliter loquendo ad debitam Eccleſiæ adminiſtrationē neceſſaria, ergo illos Papa potuit, & debuit eximere.

Ex his diſtinctionibus rerum, & perſonarum Eccleſiaſticarum cum ſuis ita habitis determinationibus neceſſariæ illationis conſequentia recte conducente, non venit abnegandum, quod illa ſcilicet clericorum immunitas, quæ authoritate Pontificia ſolum humana fuerit conſtituta ſicuti per liberam ipſam humanam Pontificis authoritatem potuit immutari, & remoueri, ita quod ante factam immutationem per Concilium Tridentinum per longiſſimam potuerit conſuetudinem Regnorum alterari, ſcientibus tamen, & ſemper conniuentibus, ſummis pro tempore Pontificibus, ſicuti eſt immunitas, & exemptio Clericorum coniugatorum, ac primæ tonſuræ, & quatuor ordinum minorum, eorum inquam, qui de mandato Epiſcopi, Eccleſiæ non inſeruiunt, nec habent beneficium, eo quia tales clerici (vt oſtenſum eſt) non diuino iure, ſed ſolum humano ante Tridentinum Concilium, fori priuilegio gaudebant, quam Concilij Tridentini conſtitutionem, quod tales clerici fori priuilegio non gaudeant, ſuſceptam, & in praxim redactam in Hiſpanijs per Regiam legem 1. editam tit 4 lib. 1. noui ordinis, teſtatur Bernardus Diaz, in ſua pract. crimin canon. cap. 62. num. 9 Sed penitus & omnino abnegandum ſemper eſt de immunitate Sacrorum Clericorum, & ordinum etiam minorum, qui ſeruitijs Eccleſiarum ſunt addicti ſeruientes actualiter: nam omnes tales de eodem iure diuino effecti ſunt immunes à iuriſdictione Principum ſecularium, via traditionis Apoſtolorum, & Patrum, atque ſcripturæ Sacræ per neceſſariam conſequentiam interpretatæ, vt in ſuperioribus concluſionibus remanet abunde oſtenſum, & comprobatum, ſpecialiter in concluſione quarta, vbi à perpetuitate traditionis huius oſtendimus, immunitatem hanc Eccleſiaſticam, ſicuti nec authoritate Summi Pontificis, ita neq; ſecularium conſuetudine poſſe aboleri, & immutari, quod comprobatum reliquimus authoritate Vrbani Papæ I c. ſunt quidā 25. q. 1. & Zozimi Papæ, c. contra ſtatuta, ſed non propterea licet ex hoc inferre, ſicuti male inferre contendit Theologus Venetus in ſua conſideratione fol. 3. dicens, quod ſi clericorum

immunitas eſſet de iure diuino, Summus Pontifex non poſſet in aliquo diſpenſare, eo quod contradictionem implicet, dicere ius diuinum ſimul & diſpẽſabile. Mala eſt hęc illatio, nã quod hoc ius diuinum, quo immunitas Eccleſiaſtica conſtituta eſt, in vera, & perfecta Theologia ſit diſpenſabile, hoc inquam in aliquibus particularibus caſibus, non autem in totum mutari, in medium afferam pro Theologorum communiſſima, Sancti Thomæ ſolius doctrinã, breuitatis gratia 1.2. q. 100. artic. 8. in corpore quæſtionis: inquit enim ibi. Reſpondeo, dicendum, quod ſicut ſupradictũ eſt (q. ſcilicet 96. ar. 6. & q. 97. ar. 4.) tunc in præceptis (intellige diuinis de quibus agit ibi S. Doctor) debet fieri diſpenſatio quando occurrit aliquis caſus particularis, in quo ſi verbum legis obſeruaretur, contrariaretur intentioni legislatoris. Intentio autem Legislatoris cuiuslibet ordinatur primo quidem, & principaliter ad bonum commune. ſecundo autem ad ordinem iuſtitiæ, & virtutis, ſecundum quod bonum commune conſeruatur, & ad ipſum peruenitur, ſi qua ergo præcepta dentur, quę contineant ipſam conſeruationem boni communis, vel ipſum ordinem iuſtitiæ, & virtutis, huiuſmodi præcepta continent intentionem Legislatoris, ideo indiſpenſabilia ſunt, ſed ſi aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad iſta pręcepta, quibus determinantur aliqui ſpeciales modi præceptorum in aliquibus caſibus non fieret præiudicium primis præceptis, quæ continent intentionem Legislatoris. Hæc ibi S. Tho. Applicemus agite doctrinam ad rem noſtram. Intentio Legislatoris Dei ordinantis, atq; præcipientis immunitatem hanc Eccleſiaſticam continetur, & conſeruatur, in ipſa immunitate integre ſumpta pro omnibus perſonis, & cauſis Eccleſiaſticis ſimul & in vniuerſum, ita vt talis immunitas nunquam mutetur in totum, vel tollatur: & hoc eſt, quod præfati Pontifices, Vrbanus I, & Zozimus declarant, atq; definiunt, vtentes verbo (mutari) & dicentes nõ poſſe per ſummum Pont. mutari, & nouã legẽ facere, vel contrariã. At nequaquã dixerũt nõ poſſe in aliquo particulari caſu, ſuadẽte ratione diſpẽſare, pręceptiones vero, & ſpecificationes particulares, aliũ, ac talium cauſarũ & aliũ, ac taliũ clericorũ, ſunt quidã modi ſpeciales ipſius pręcepti principalis, Dei. & ideo bene poſſunt diſpenſari in caſibus quibuſdam, in quibus ſi totum per omnia ius hoc immunitatis conſeruaretur, contrariaretur intentioni ipſius Dei ordinantis, & præcipientis hanc immunitatem. qui ſiquidem ordinans, & præcipiens in caſibus bono communi conducentibus, nollet per omnia ius ſuum obſeruari & hinc eſt, quod à Doctoribus communiter dicitur, quod talis in caſu aduueniente diſpenſatio, non eſſet propriè diſpenſatio, quæ formaliter eſt iuris aliqua relaxatio, ſed interpreta-

tio, & declaratio intentionis ipſius Legiſlatoris, quæ dicitur *Epicheia*. Ita & in voto ſolemni Summus Pontifex habet poteſtatem diſpenſandi ſecundum communem, & ſaniorem Doctorum ſententiã, in quo ſolemni voto, quando ex ſufficiente cauſa contingit Papam diſpenſare, potius dicitur ipſius Dei Legiſlatoris intentionem declarare, quã propriè diſpenſare. Quod inſuper Theologus Venetus ex hac Summi Pontificis diſpenſatione ſibi hiãt contingeret, colligit etiam per conſuetudinem poſſe acquiri, totum quod per diſpenſationem obtinetur, eſt ſimiliter falſum: quia vt inquit idem Angelicus doctor 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. In præceptis iuris diuini, quæ ſunt à Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel is cui ipſe ſpecialiter committeret: commiſit autem ſoli Summo Pontifici Vicario ſuo. conſuetudo vero non fit Dei commiſſione, ſed hominum more introducitur diſt. 1. cap. conſuetudo. ideo, id quod per diſpenſationem Papæ obtinetur, non poteſt acquiri hominum conſuetudine, ratio ad hoc vrgens ea eſt, quia ſi illud, quod circa legem diuinam, ea parte, & in caſu, per diſpenſationem obtinetur, poſſet per conſuetudinem legi diuinæ contrariam introduci, tunc vi conſuetudinis eiuſdem poſſet lex ipſa diuina in totum aboleri, vel mutari: quod natura diuinæ legis non ſuſtinet, & mordicus pernegat D. Thom. ead. q. ar. 3. ad primum dicens lex naturalis, & diuina procedit à voluntate diuina, vnde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem à voluntate hominis, ſed ſolum per authoritatem diuinam mutari poſſet, & inde eſt, quod nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra legem diuinam, vel legem naturalem: dicit enim Iſidorus in ſinonimis. Vſus authoritati cedat, prauum vſum, lex & ratio vincat. Ad hæc illud quoque, quod idem Theologus Venetus fol. 33. in hoc facto infert poſtremo, ſcilicet, præſuppoſito etiam, quod exemptio clericorum antea fuerit conſtituta, & per legem eandem ſeruata, & quod poſtea per conſuetudinem immemorabilem præſcriptum fuiſſet in contrarium, poſſet legitime exerceri, peſſime infertur ſuppoſito quod immunitas Eccleſiaſtica ſit conſtituta diuino iure, ſicut ipſe quoque in vim maiorem ſui argumenti ſupponit. quia vt ſuperius eſt demonſtratum, nulla conſuetudo, nulluſque mos, ſeu vſus, quamuis antiquiſſimus valet ſuper lege, & præcepto diuino. Etenim vt Gregorius PP. IX. inquit, tanto ſunt grauiora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatã. nemo ſanæ mentis intelligit, naturali iuri cuius transgreſſio periculum ſalutis inducit quacunque conſuetudine (quæ dicenda eſt verius in hac parte) corruptela, poſſe aliquatenus derogari. Sed neque Innoc. III. in cap. ſuper quibuſdam, de verborum ſignif. quod iſte Theologus pro ſe perperam citat in-

tatur.

margine; loquitur de re aliqua quæ ſit de iure diuino diſpoſita, ſed loquitur expreſſe ſolummodo de pedagijs, ſalinatis, & guidagijs, quæ imponi de nouo interdicta ſunt humano iure, niſi Imperatorum, & Regum, vel Lateranenſis Concilij largitione fuerit conceſſum. Illud item, quod idem Theologus ſuperaddit de taciturnitate Summorum Pontificum, quæ ſit pro ſufficienti approbatione, adeo falſum eſt manifeſte, quod non eget confutatione, vt ex Regeſto Gregorij Papæ. Italiæ patritiæ, & habetur in c. Nihil prodeſt. de præſcriptionibus. & ideo iſta taciturnitas Prælati præceſſoris, futuris ſucceſſoribus in rebus pauperum nullum facit præiudicium, & eo magis, quia conditionem Eccleſiæ deteriorem facere non poteſt, cap. Fraternitatem de donationibus. Quanto ergo minus Summi Pontifices propter ſcandalum euitandum conticentes ſuper contrauentionibus, tunc Venetæ Reipublicæ nullam dicendi ſunt efficere probationem?

Quantæ etiam falſitatis ſit, non omittemus oſtendere, illud quod idem Theologus Venetus, eadem pag. 33. dicit quod in iſto caſu authoritas, & vſus Reipublicæ Venetæ præcedit tempore omnem legem, quę exemptos effecerit Eccleſiaſticos, à iudicijs in cauſis criminalibus enormibus: & falſitatem huius ſui aſſerti, quoad antiquitatem quam effutit, non opus eſt amplius oſtendere, cum in pleriſque noſtris Concluſionibus ſit pleniſſime demonſtratum ab ipſa Apoſtolorum, & Patrum traditione per ſeriem tot Pontificum fideliter recenſitam, ſed in eo, quod dicit ſe reſtringendo ad cauſas delictorum enormium, putans quidpiam per ſe probabile afferre: dicimus libere hoc ſuum commentum eſſe falſum pluribus medijs. Primo quia ab ipſo Eccleſię Catholicæ principio Petrus Apoſtolus, & primus Dei Vicarius Clemente atteſtante in epiſtola 1. Nullum ſacerdotis crimen quantumuis enorme, ſed ſolam cauſam criminis hęreſis excipit dicens: Si autem Epiſcopi, & Sacerdotes exorbitauerint ab iſtis, (ſcilicet ſecularibus) non ſunt reprehendendi, vel arguendi, niſi in fide errauerint, eandem exceptionem ſolius criminis hæreſis facit Fabianus Papa. An. D. 237. epiſt. 1. ad omnes orientales Epiſcopos dicens. Similiter ſtatuentes Apoſtolica authoritate iubemus ne paſtorem ſuum oues quæ ei commiſſæ fuerint (niſi forte in fide errauerit) reprehendere audeant. Nec proinde aliquis colligat, quod ſi Eccleſiaſticus, crimen hæreſis committat, poſſet iudex ſecularis vi exceptionis factæ illum iudicialiter cognoſcere, cum cauſæ omnes tangentes fidem ſint de ipſo iure diuino, ad Sedem Apoſtolicam & tribunal ſpirituale, quod ipſa ordinauerit, referendæ, ſicuti Innoc. Papa 1. epiſtola 26. ad Epiſcopos Concilij Mileuitani inquit: Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres,

tres,

ſtres,& Coepiſcopos noſtros,non niſi ad Petrũ,id eſt ſui nominis, & honoris auctorẽ referre debere,velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mũdum poſſit Eccleſiæ omnibus prodeſſe,ſed hãc criminis hæreſis exceptionẽ ſic intellexerunt Patres ſemper,quod quãdo perſona Eccleſiaſtica in hoc crimen ceciderit, ſi cõtumax in ſuo errore perſtiterit lata in eũ ſententia à tribunali Eccleſiaſtico, & præmiſſa ſolemni ſacrorum ordinum degradatione ad brachium Curiæ iudicis ſecularis remittitur ſententiæ executio, iuxta decretum Lucij PP. 3 in c. ad abolendam,de hæret. Quod ſi in cauſis aliquorum enormium criminum ab hæreſi,perſonas Eccleſiaſticas iudicialiter cognouerint Venetæ Reipublicæ Rectores, etiam ab antiquo hoc non de iure habere potuerunt aliquando, ſed de ſolo facto certiſſime vſurpato contra ipſius Dei, & Apoſtolicæ ſedis antiquiſſimam ordinationem,aduerſus quam,vt ſuperius eſt demõſtratum,nullus vſus,nullaq; conſuetudo,quantumuis antiquiſſima poteſt vnquam præualere. Quamobrem quanto magis antiquitatem temporis aſſignant, tanto magis peccatum ſuæ temeratiæ vſurpationis aggrauant, iuxta ſententiam Gregorij IX. ſuperius recenſitam in c. vlt. de conſuetud.

Illud etiam falſum eſt,quod immediate ſubnectit idem Venetus Theologus,putans pro ſuo aſſertu perbellam adducere rationem dum ſubnectit,quod aliqui Summi Pontifices puta, Sixtus IV. Innoc. VIII. Alexander VI. & Paulus III. per ſua diplomata, quæ in archiuijs dicit conſeruari,non quidem(vt opus erat) licentiam cõceſſerunt,ſed tantum,vt ipſe contendit,factum, & vſum Reip. Venetæ aduerſus libertatem Eccleſiaſt. per ſua diplomata approbarunt,dictum oppidò inconſultiſſime effuſum, & aperte iniurium, & nunquam hactenus auditum,quod nimirum Sedes Petri Sacra, & Apoſtolica,Eccleſiarum mater, & magiſtra cuius pedibus ceruices ſuas omnes mundi totius poteſtates fideles inclinant facta per eius, & contrauentiones ſecularium, per ſuum Apoſtolicum breue vnquam approbarit,nullum prorſus licentiæ, & facultatis priuilegium de ſuæ poteſtatis plenitudine cõcedendo, vel ad ſuam falſam intentionem,breuia Apoſtolica hic Theologus trahere contendit, ad probandum,ſcilicet quod Republica Veneta, vi conſuetudinis ſuæ tantum, nequaquam virtute alicuius Apoſt. conceſſionis, & licentiæ, in caſibus enormibus, & etiam communiter grauibus, in ſacros clericos iuriſdictionem ſecularem exercuiſſet. Nam ſi Lucius Papa III. vt habetur in c. ad audientiam, de reſcript. litteris Apoſtolicis,quæ manifeſtum continent in conſtructione peccatũ, hoc eſt falſam latinitatem,non vult fidem adhiberi,quanto magis bullis Apoſtolicis,quæ manifeſtam continent inconuenientiam,legiſq. diuinæ præiudicium,fides adhiberi non debet? Ergo aut opor

tuit

tuit Theologum illum dicere, quod in prædictis bullis, ſeu Breuibus præfati Summi Pontifices diſpenſationem aliquam, ſeu licentiam de poteſtatis ſuæ plenitudine conceſſerant Reipublicæ rectoribus, vt ſine peccato poſſent in clericos etiam ſacros delinquentes judicialiter animaduertere, aut certe bullas eaſdem approbationem ſolummodo continentes conſuetudinis Venetę contra libertatem Eccleſiaſticam concedere falſas eſſe, nec vere à Sede Apoſtolica emanatas, quia ſummum inconueniens eſt admittere, quod Summi Pontifices contrauentiones legis diuinæ, & ſanctionum Canonicarũ per conſuetudinem hominum introductas ſuis diplomatibus approbauerint.

Cęterum ſi fidea eſt adhibenda Theologo huic in eo quod refert de *Papa* Innocentio, qui ſcilicet per ſuum breue directum ad Patriarcham Venetiarum datum vltimo Octobris anno 1487 In quo continentur illa verba. Nos attendentes priuilegia ad bene viuendum dari, non ad delinquendum, illaq. præſidio bonis contra improbos eſſe debere, non autem malis ad nocendum, facultatem, &c. Se ipſum hic Theologus contradictionis manifeſtæ redarguit. Etenim verbum vltimum (facultatem) cum additione (&c.) certo certius inſinuat facultatem, ſeu licentiam ab Innocentio authoritate Apoſtolica traditam per diploma, ſi vere tamen, tale diploma conceſſum eſt, vt inde Veneti rectores in delicta illa tam atrociſsimis, quam etiam grauibus, & atrocibus de conceſsione, & diſpenſatione ſpeciali licite potuerint clericos delinquentes iudicare. Verba autem illa præcedentia, puta. Nos autem attendentes priuilegia ad bene viuendum, &c. non ſunt aprobatoria facti antea attentati, ſed ſolum declaratoria, ſeu proteſtantia cauſam rationabilem, atq ſufficientem ad diſpenſandum, vt mos obſeruatiſsimus, & perpetuus eſt, atq pernecceſſarius in diplomatibus continentibus aliquam iuris diſpenſationem argumento. cap ex parte. de reſcriptis. in quo ad validitatem Apoſtolici reſcripti de neceſsitate requiritur clauſula, ſi preces veritate nitantur, etiam ſi non apponatur. Verum enimuero illud maxime refert in hac *facti* ſpecie, ſi prędictum breue Innocentii Papę VIII. realiter, & reuera extet, per ipſa, ex parte, & in ſuo principio, recenſita verba, quæ facultatem deſignant rectoribus Reipublicæ conceſſam à Sede Apoſtolica. nam ſi ipſi rectores hoc fateutur, neceſſarium eſt eis fateri conſequenter, quod non vi conſuetudinis antiquiſsimæ, & authoritate diuina principibus conceſſa. poteſtatem ſe exercere ſuper perſonas Eccleſiaſticas in cauſis criminalibus, ſed ſolo titulo Apoſtolicæ conceſsionis, vel vt verius dicam diſpenſationis, ex cauſa ſufficiẽte ad diſpenſandum in hoc diuino iure, & ſatis eis foret authenticum breuis reſumptum, Sanctiſsimo D. N. Papæ Paulo V. de Ca-

tholi-

tantorum filiorum confidentia, ipſi præſentare, & demonſtrare. Qui Sanctiſſimus Dominus (vt de ſua decet) maxima charitate, & prouidentia, tale diploma à prædeceſſore ſuo emanatum legitime, non tolleret, ſed perpenſis ſufficientibus cauſis in diplomate præenarratis, & conceſſionis formalis continentia, atq; obſeruatione, Rectorum terminos conceſſionis non excedente notabiliter, libentiſſime (vt ſperamus) confirmaret, & aſpirante Deo, forte fortius ab ipſo Sanctiſſimo, vt iuſta quoq; ratione ſperare poſſumus, authoritate ſumma ſibi diuinitus præſtita, concederet ſuper alijs, etiam eiuſdem Reip. ſtatutis. Cum ad condendum licite ſtatuta aliqua etiam quæ libertati, ſeu immunitati Eccleſiaſticæ in aliquo derogarent, ſacri Canones, non aliud de iuris neceſſitate exigant, niſi quod à Summo Pontifice obtineatur licentia vt conſtat ex Concilio generali Lugdunenſi ſub Clemente V. in c. hoc conſultiſſimo, de rebus Eccleſiæ non alienand. lib. 6. & c. Clericis, de immunit. Eccleſ. eod. li. & c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtit. & c. cum laicis, extra de reb. Eccle. non alien. & ſicuti ex Diuo quoq; Thoma ſuperius oſtenſum eſt, in hoc diuino iure cauſa rationabili, in caſu ſpeciali ſic exigente pro bono publico alicuius Regni, ſeu Reipublicæ conſeruando de pleniſſima quam habet à Deo authoritate, poteſt licite diſpenſare: conſideratis inquam (vt opus eſt) conſiderandis, & ad terminos iuris diuini, ſanctionumq; Canonicarũ, quam à iuſtæ diſpẽſationis ratio ſuſtinet, ipſis ſtatutis redactis, & contẽperatis. Id ipſum pariter, & totum efficere deberent omnes etiam alij quoque Principes fideles circa vſus, conſuetudines, priuilegia, atq; ſtatuta, ſi quæ ſunt, in Regnis, Prouincijs, ciuitatibus, & dominijs ſuis, quæ libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam, quoq; pacto contingunt, vt omnibus ad terminos iuris diuini, iuriſq; communis Eccleſiaſtici diſpenſabilis, redactis omnibus de licentia, & conceſſione ſpeciali Summi Pontificis vtantur. Si voluerint apud diuinum Tribunal, immunes cenſeri, ac tuti ab incurſione latæ cenſuræ in Bulla Cœnæ Domini. Quæ nam vero cauſa rationabilis, eſſet ſufficiens, ad impetrandum diſpenſationem atq; licentiam ſiue conceſſionem à Sanctiſſimo Domino. Et qui nam deberet eſſe modus ac forma reducendi ſtatuta, priuilegia conſuetudines, & vſus, qui Eccleſiaſticam libertatem notabiliter contingunt, ita vt obtenta diſpenſatione, atq; licentia Sedis Apoſtolicæ ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo, Omnes fideles Principes, eiſdem reductis, ab hinc poſſent vti, non eſt meum hoc in loco, in medium ſpecialiter (vt oporteret) afferre. Ipſa modeſtiæ lege ſic imperante. Quãuis, & cauſam ſufficientem ad diſpenſandum, & modos reducendi, cumplenè apud me (ni fallor) expenſos per benè, atque conſcriptos teneam, capacendos tantummodo, quandocunque ab ipſo Sanctiſſimo Domino

Nostro mihi iussum fuerit. satis superque igitur sit interea, passum, ad compositionem (quę desideratur) omnibus numeris perficiendam legentibus iisdemque sapientibus, sicut hactenus est habitum intimasse. Ad hæc, superadditum nō pigebit expendere, quod idem Theologus ex Iulij Clari sententia contendit inferre fol. 34. dicens potest hic addi, quod in nullo Regno, siue dominio, vt in praxi posita seruatur hęc clericorum exemptio, eodem vbique modo, & qui legit totum, quod criminalistę, & particulariter Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 36. cognoscet, quod diuersimode practicatur in diuersis locis exemptio hęc, ex quo sumitur indissolubile argumentum, quod non sit de iure diuino. Quam inconsulte effusa sint hęc, & quam falsa omnia, tam ex ipsius specialiter doctoris, & iuristę insignis Iulij Clari doctrina, quam ex varietate doctorum, quos ibi Clarus refert, constare potest. & quo ad Iulij Clari specialem sententiam, certum est, quod ipse in eadem quęst. 36. versic. Quęro nunquid clericus, quęstionem proponens de clerico committente etiam crimen lesę maiestatis. Verum puniri possit per Principem, aut iudices seculares cui sit temporaliter subditus. sic respondet, loquendo de iure, quod non. & rationem adducens dicit, quia clericus non dicitur proprie committere crimen lęsę maiestatis cum non sit vere subditus, vt dixi supra §. lesę maiestatis versic. vidi quandoque. & ita reperio in facti contingentia consuluisse Barba. conf. 22. In primo dubio, lib. 3. Rolan. cons. 4. lib. 1. tamen de facto Principes pluries seruant contrarium. Hęc ibi Iulius Clarus; qui siquidem dum de sua speciali sententia, & recta consideratione, dicit quod Principes seculares non possunt punire de iure clericum, quamuis crimen lęsę maiestatis in capite committeret, sed solum solet puniri de facto: euidentissime concludit, & docet, quod Principes seculares nullam habent iuridicam potestatem puniendi clericum quamuis sic enormiter in se ipsos delinquentem. Perpendite, amabò, non posse de iure, quod apud ipsa iura valeat, Princeps secularis non potest hoc facere de iure, ergo per locum ab inductione partium iuris communis. Non de iure diuino, quia ius diuinum, vt per tot Conclusiones nostras ostensum est clericos facit exemptos à Principum secularium iurisdictione, nisi in solo crimine hęresis, & ea conditione, & modo, vt superius est declaratum, Nec de iure humano Canonico, quia Sacri Canones clericorum eandem immunitatem constituunt, & tuentur: Non de iure Imperiali, quia leges Imperiales non possunt, nec ius diuinum, neque canonicum humanum abrogare: nam in 6. Synodo Romana sub Simmacho, sic habetur. Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra diuina mandata præsumere, nec quicquam

quod

quod Euangelicis, vel Propheticis, aut Apoſtolicis regulis obuiat agere. Et Felix Papa loquens Principi inquit. Conſtitutiones contra Canones præſulum Romanorum, vel bonos mores nullius ſunt momenti; Non item de iure conſuetudinis, quia nulla conſuetudo nulluſq; e vſus valet aduerſus diuina præcepta, vt oſtenſum eſt ſupra ex D. Thoma, & Sacris Canonibus, ergo, vt idem Iulius Clarus docet de ſolo facto ſeculares Principes puniunt clericum, qui commiſit crimen læſæ maieſtatis: factum autem Principis, quod nulla lege defenditur, ſeu excuſatur, non poteſt eſſe niſi factum per vſurpationem indebitam, & omnino præſumptuoſam.

Et ſi quis obijciat, c. cum non ab homine, & c. perpendimus, de ſent. excomm. in quibus Clem. Papa III. declarat occiſorem Clerici, ſcilicet tam priuata authoritate, vt in primo, quã publica, vt in altero, qui contempto clericali habitu tyrannidi, & enormitati ſe inuerecunde immiſcet, in odium clericalis exceſſus, & terrorem, atq; correctionem ſimilium, canone latæ ſententiæ minime coerceri. Reſpondebimus libere, & ſecure, quod eo magis ex his oſtenditur, nullam Principes de iure habere in clericos delinquentes authoritatem, quia in his capitulis, quicquid ſit de litterali eorum intelligentia, circa quam variant Doctores. An intelligantur de ſola cenſura excommunicationis per manuum violentam, quod in tali caſu non incurratur, An vero de toto priuilegio fori, quo tales clerici ſpolientur. Certum ſiquidem eſt, quod in vtroq; de ſola authoritate Apoſtolica declaratur, & conceditur, vt occiſores talium Clericorum, tam authoritate priuata, quam etiam publica, non cogantur quærere abſolutionem à cenſura, quod patet ex ipſa amborum capitulorum littera in fine, vbi ſuperadditur, iniungatur tamen eis pœnitentia competẽs aliquantulum aſperior, quam ſi in laicos talia commiſiſſent. Ex quibus tandem manifeſte colligitur, quod nulla in hoc poteſtas in Principibus ſecularibus eſſe declaratur ſuper clericos quomodocunque delinquentes, etiam in crimine læſæ maieſtatis.

Quantum vero ad varietatem doctorum apud eundem Iulium Clarum ibidem relatam, vnde Tehologus iſte indiſſolubile putat deſumere argumentum, à ſigno, quod ex tanta varietate doctorum colligere contendit, clericos non eſſe exemptos de iure diuino; Si attendantur clericorum conditiones, de quibus doctores ſic varie loquuntur, totum penitus oppoſitum concludere oportebit pro immunitate Eccleſiaſtica, quod re vera inquam ſit de iure diuino, nam doctorum varietas hæc, vt patet per eorum illud c. 36 Iulij Clari, verſatur in clericis, qui per diſpoſitiones Canonicas ſpoliati ſunt priuilegio fori, ſicuti ſunt clerici coniugati,

qui in habitu, & tonsura non incedunt, vt patet per c. vnicum de clericis coniugatis in 6. & clerici, tam ordinum sacrorum, quam minorum, qui habitu, & tonsura depositis, & contemptis immiscent se enormitatibus, vt constat per c. cum non ab homine, & c. Perpendimus de sent. excom. & de clericis quibuscunque, qui delictum assassinij committunt, vt habetur in c. Vnico de homicidio in 6. & de clericis minoribus, qui non habent beneficia, & consequenter Ecclesijs non seruiunt, vt decretum est nouissime in Concilio Tridentino sess. 23. c. 6. de ref. Circa hos solos clericos sic qualificatos variant doctores, quos ibi Iulius Clarus refert: in his nanque omnibus casibus Clericorum, delinquentes Clerici, vt patet in adductis Canonibus sacris declarati sunt non gaudere fori priuilegio. Vnde concludendum est, quod non de ordinaria potestate puniuntur per iudices seculares, sed de sola concessione Sedis Apostolicæ quæ tales clericos fori beneficio priuat, & priuatos esse sua authoritate declarat, & ideo cum varietas hæc doctorum versetur solummodo circa clericos qui aliquo modo per Ecclesiam sunt fori priuilegio spoliati, & non circa Clericos omnes indifferenter, de necessaria colligitur consequentia, quod vt Principes licite valeant punire clericos delinquentes, oportet tales clericos prius per authoritatẽ Ecclesiasticam fori priuilegio spoliari, alioquin nullam habuissent in delinquentes Clericos iurisdictionem, & hoc certe non aliam ob causam, nisi quia Clericorum exemptio, & immunitas tam sacrorum, quam etiam minorum, seruientium Ecclesiis sit vere de iure diuino.

Ad vltimum huius rei argumentum, quod pro suo (vt dici solet) Achille magni facit Theologus Venetus dicens ead. pag. 33. Nouellæ Iustiniani Imperatoris eum multa abundantia, & claritate ostendunt, & c. Abundantius, & nos in superioribus conclusionibus elidimus. Demonstrantes, quod eadem immunitas personarum Ecclesiasticarum Dei ipsius ordinatione, & præcepto, ex traditione Apostolorum, vt contestantur tot Sanctissimi Pontifices in recensita serie, fuerit constituta, ante omnes leges Imperatorum. & particulariter per testimonium Felicis Papæ III. num. 27. eundem Iustinianum redarguentis, vt refert Gratianus X. dist. c. certum est.

LAVS DEO.

3 952749